IO. CASAE ... GALATEUS, SEU DE MORUM HONESTATE, ET ELEGANTIA;...

Giovanni Della Casa, Nathan Chytraeus

Digitized by Google

NAZIONALE BIBLIOTECA VITT. EMAN.
14
4 I
30

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-5-B. 17

IO. C SÆ V. CL.

GALATEVS SEV DE MORVM HONESTATE, ET ELEGANTIA; LIBER EX Italico Latinus,

Interprete

NATHANE CHYTRÆO, cum eiuſdem Notis, nuper additis.

EIVSDEM CASAE LIBELLVS de officiis inter potentiores, & tenuiores amicos.



FRANCOFVRTI,

Sumptibus Clem. Schleichij & Conſortûm.

ANNO M.DC.XXXVII.

Cum priuilegio Imperatorio ad Sexennium.

1h. 4. I. 30
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LECTORI S. D.
Nathan Chytræus.

Quiſquis es, exiguum quamuis, ne ſperne libellum.
Tu quoque quod fugias, quodque ſequaris, habes.

NOBILISS. GENERE, SAPIENTIA, DIGNITATE, ET AVCTORITATE VIRO, D. NICOLAO CASÆ, Domino hæreditario in Torouilla, inclyti Daniæ regni Cancellario magnifico, domino ſuo obſeruandiſſimo, S.

CVM aureolum hunc Iohannis Caſæ de morum honeſtate & elegantia libellum, in vſum iuuentutis noſtræ, ex Italico in Latinum conuertiſſem, deq́; eo edendo mecum & cum amicis iam deliberarem: fateor equidem, me cum primis ſollicitum fuiſſe de tali aliquo lucubrationis huius meæ patrono, cui non ſolum opera noſtra grata eſſet; verum etiam qui ob virtutem, humanitatem & morum venuſtatem gratioſam, adoleſcentibus ingenuis tanquam viuum exemplum proponi poſſet, in quod veluti in illam Polycleti regulam intuentes, & præcepta, quæ hic traduntur, rectius intelligere, & ad exempli illius normam, mores, geſtus, ſermones, vitam denique vniuerſam recte & commode

BIBLIOTECA ROM. VITTORIO EMAN.

poſſent conformare. In accurata autem illa & quidem aliquot dierum diſquiſitione, tu, præ multis aliis, vnus is mihi eſſe viſus es, qui perſonam illam vere, & quidem maxima cũ laude tua, poſſes ſuſtinere. Qui enim iſtinc veniunt, teſtes oculati, & propterea fide digniſſimi nõ ſolum generis tui ſplendorem, ingenii excellentiam, in dicendo grauitatem, in negociis gerendis integritatem, moderationem & induſtriam, cum doctrina exquiſita, multarumq́ rerum ſcientia coniunctam prædicant: verum etiam, quod huius loci proprium eſt, ita te in conuictu facilem, in ſermone comem & perurbanum, in omnibus geſtibus & actionibus φιλόκαλον, *amabilem, atq́ adeo venuſtum & gratioſum eſſe aſſerunt, vt hoc in genere pauciſſimos tibi conferre, anteponere poſſint neminẽ. Huc accedit, quod nomen quoq́ tibi & florentiſſimæ familiæ tuæ gẽtilitium, cum auctoris huius nobiliſſimi, & magnis quoq́ dignitatibus in patria perfuncti nomine pene congrueret. Cuius ipſius indicio, tanquam optimo omine, admoneri videbar, vt opuſculum hoc tibi potiſſimum conſecrarem. Accipe igitur, vir omni laude & honore digniſſime, hũc libellum, inter omne*

qu

qui hac de re ſcripti ſunt hactenus, perfectiſſimum, atq; adeo cum veteribus quoq; doctiſſimorum hominum monimentis comparandum: & præterea cum omni ætati, tum vero imprimis adoleſcentibus veræ laudis & elegantiæ cupidis cognitu vtilem & iucundum. Te enim, vt iam antea dixi, nõ tam lectorem quam Ideam & exemplum eſſe volui, non ſolum eorum quæ priori hoc, verum etiam illorum, quæ altero, quod adiectum eſt, opuſculo continerentur. Quæ ipſa tamẽ, ſi per ocium inſpiceret, & ordinis tui adoleſcentibus primariis commendare volueris; facies profecto rem & ipſorum ſtudiis & tua perſona auctoritate que digniſſimam. Sed cum tu ipſe, me quoque tacente, quid facto hic opus ſit, rectiſſime intelligas; non ero hic prolixior. Imo ſinem epiſtolio huic imponam, ſi vnum, quod præterire non debui, monuero. Me in libelli huius translatione, noſtræ potiſſimum iuuentuti inſeruire voluiſſe. Ideoque nonnulla, quæ diſciplinæ & inſtitutis Italicis magis quam noſtris conuenire viderentur, aut omiſiſſe, aut ſaltem paullo aliter expoſuiſſe. Quod ideo indicaui, ne quis forte Latina cum Italicis conferens, & conſilii noſtri ignarus, mala nos fide

in hac interpretatione verſatos eſſe clamaret. Ego vir nobiliſſime, omnia mea ſtudia & obſequia, quantumuis exigua, ex animo tibi defero, meque magnificentiæ & dignitatis tuæ fidei & patrocinio ſubmiſſe commendo. Vale. Roſtochio, Idib. Septembr. Anno M. D. LXXVII.

D. & Mag. T.

obſeruantiſ.

Nathan Chytræus poetices in Acad. Roſtochienſi Profeſſor.

NICOLAO CA-
SIO VIRO NOBILISSI-
MO REGNI DANICI
Cancellario,
S.P.D.
IOANNES CASELIVS.

CVM hic iuuenis & in re ſua, & videndi regni florentiſsimi gratia, iſtuc proficiſceretur, iterum aliquid ſcribere auſus fui: etiamſi ad te ſuperioribus diebus literas pene inanes dediſſem: niſi pro tua ſapientia ſic ſtatues, quæ gratum & memorem animum aperiant, non penitus vacuas eſſe omni re, & ferre denique illud boni, quo carere maxima pars mortalium exiſtimatur. Ego vero poſtquam tu me, Nicolae Caſi, in tuis habere cœpiſti, & non ſuſpicantem beneficio affeciſti iam pridem cogitaui, quodnam illuſtrius argumentum mei grati animi & obſeruantiæ in te ederem: neque aliud vidi, quam vt aliquid vigiliarum mearum ad te mitterem, ſi quid poſſem te dignum elaborare, cum ſciam de iis delectari, quæ aliquid ſpirent veræ politæq́ doctrinæ veterum neque tamen id hactenus ipſemet mihi imperare poſſum. Valde enim vereor, ne hanc rationem ſecutus, non tam pro vetere beneficio gratias agere, quam nouum petere videri poſsim: quod minus tamen vererer, ſi me nouiſſes familiarius, quod ſine alicuius temporis conſuetudine fieri non poteſt. Tamen loco illuſtri, (occaſio enim ſe mihi certe offeret

quam etiam ſtudioſe aucupabor) virtutem tuam prædicabo vere, ſineque tua moleſtia. Hoc etſi non negligam: tamen & alij erunt præcones tuarum laudum, me haud inferiores, neque hodie deſunt: quem honorem tibi gratulor. Eſt enim profecto honor, à bonis, iiſdemque acribus vitæ humanæ exiſtimatoribus non à quibuſvis aut ab aſſentatoribus celebrari. De Nathane Chytræo homine doctiſſimo & viro graui affirmare non dubito, quas tibi ille laudes, quod verecunde facit tamen, cum quid ſe dignum ſit, non neſciat, tribuit; idipſum tuæ humanitatis, quæ cæterarum virtutum familiam facile ducit, & ſapientiæ prædicatione impulſum facere, & facere omnino tum ex animo, tum ſincero iudicio. Iudicium enim de te facit non ſolum ex iudicio aliorum, ſed ex iis, quæ ab omnibus à te diuinitus conſuli, gerique intelligit. Librum autem quod vna mittit, non poſſum non probare. Neque autem te docebo, quam bonus, quam elegans ſit, cum ipſe tuo iudicio ſtare malim, quam meum tibi de hoc genere oſtendere: hoc ſilentio preterire nequeo, me libellum, ea qua ſcriptus eſt lingua, à multis iam annis legendo contriuiſſe. Quam autem feliciter Nathan operam ſuam collocarit in eo interpretando, quantumq; valeat in carmine pangendo, res nimirum ipſa loquitur. & quoniam cœpi, vt vere, ita libere pro amico loqui; dignus eſt nobiliſſimorum hominum, principum, regum denique gratia: hoc eſt, qui foueatur ab optimis & potentiſſimis. Sed, pro dolor, ita fit, hodie, vt in tanta multitudine eruditorum, quando hoc peruerſo ſeculo, qui Latinam linguam vix dum balbutire inceperint (linguæ enim vnius alteriuſue haud ſatis felix cognitio hodie eſt inſtar illius apud veteres

pallij

pallij ad talos demiſsi, & barbæ promiſſæ, quæ vendit bant vulgo philoſophus) bonas autem literas nunquam viderint, nobis, ſi Diis placet libros, cudunt quam plurimos, audaciſsimi quique, quos neceſſe eſt eſſe peſsimos, emergant, negligantur doctiſsimi: aut illorum importunitate, & ſiue ambitione, ſiue auaritia illi precio, quo ſane indigni ſunt, hi præmio, quod debetur veræ eruditioni, vtrique gratia principum excidant. Sed apud vos futurum auguror, vt præſtantes viri perpetuo ſuum locum teneant. Vide enim ex tuis ad ſocerum meum litteris, vos acres eſſe cenſores omnis generis ſcriptorum, & regi veſtro commendare, quibus ornandis laudes & ipſius maieſt. & veſtræ amplicentur. Inde coniecturam hanc facio, aliam eſſe conditionem communis generis ſcriptorum, quo tamen neque eos nomine appellarem, ſi aliud occurreret. Hæc venerunt in mentē, cum amici res mihi curæ eſſet, de qua etiam magis auderem laborare, quam de mea, hominis præſertim omni laude digni. Cenſuram autem tuam non iniuria, neque tibi adulans prædico, qua quia ſemper vteris, neque Rex munificentiſsimus minus vnquam erit erga dignos liberalis, & conſuletur, tum dignitati tuæ tum vtilitati publicæ. Quod ſi vero exiſtimes, eſſe hanc veluti admonitionem, eamque ſuperuacaneam, veniam mihi vt des rogo, daresque eam vltro, ſi cogitationum mearum rationem tibi exponerem pluribus. Verum ad ſapientem longiore oratione minime opus eſt. Vale, vir nobiliſsime.

Roſtochio IV. Non. Maias.

Anno 1578.

OMNIBVS BONARVM LITERARVM STVDIOſis adoleſcentibus S.

NON curioſitate ſed amore veſtri & veſtræ vtilitatis deſiderio, libet mihi vos monere, & rogare, vt Galateum Ioannis Caſæ, vnius noſtræ ætatis longe doctiſſimi viri, quod ipſius diuina ingenii monumenta ſatis teſtantur, libellum optimæ notæ, planeq́; aureolum de elegantia morum, quem Nathan Chytræus, homo mihi & animo, & ſapientiæ ſtudio coniunctiſſimus, veſtri iuuandi ſtudio ardens, ſumma diligentia feliciter Latinum fecit, auide vobis paretis, & ſtudioſe cognoſcatis. Quantum prodit quotidie librorum ineptorum & inutiliûm, qui teruntur multorum manibus? Semper eſſe vobis auctor ſoleo, vt ſapientiſſima ſcripta veterum cognoſcatis, neque id facere deſinam: neque tamen non ita ſentio, quæ illorum intelligendorum cauſa hodie à doctiſſimus hominibus ſcribuntur, legenda quoque eſſe: legenda etiam arbitror, quibus aliqua pars vitæ noſtræ haud vulgariter informatur, legenda inquam ſæpius & conſideranda diligenter, & ſequenda perpetuo. In poſtremo hoc genere cum veluti ſtella eluceat hic Caſæ libellus; quæſo eum legite, lecta animaduertite, & moribus exprimite. Primum hoc eſt, & fundamentum omnium, vt probi & boni viri euadamus; quod requirit eiuſmodi explicationem, quam hic locus non admittit: ſecundum eſt, & cum hoc coniunctum ita, vt idem

eſſe

eſſe pluribus videatur, licet non ſit idem perpetuo, & ſit quodammodo idem, vt elegantibus moribus ſimus exornati. Hoc vero ordine prius eſt, alterum præſtanſtantia: & opinione ſæpe neque ſine cauſa, non minus illo: quod elegantia huiuſmodi ſit indicatio interioris virtutis, illaque perpetua eſſe haud facile poßit, niſi ex optima animi inductione emergat, vnde & characteres morum delineauit præſtantißimus philoſophus Theophraſtus: neque tamen negarim, multa pingi vultu, geſtu, oratione poſſe, quæ in animo nuſquam ſint, ſed diuturnum hoc eſſe difficile eſt, & proditur plerumque crebrius: quod & ſapientißimus ſententiarum apud Græcos Poeta Theognis ſcripſit his verbis:

Πολλοί τοι κίβδηλον ἐπίκλοπον ἦθος ἔχοντες,
Κρύπτουσ᾽, ἐν θέμενοι θυμὸν ἐφημέριον.
Τούτων δ᾽ ἐκφαίνει πάντων χρόνος ἦθος ἑκάστου.

Neque tamen quiuis hoc genus fraudum ſtatim animaduertit, ſed animaduerſum ſemel, longißime repellit beneuolentiam & animos hominum. Ego vero nolo fucum improbitatis & vitij, ſimilem æri inaurato, ſed elegantiam probi animi & non ſimulatæ virtutis, cum auro ſignis expolito comparandam volo. Hanc ſi quis neque amat, neque curat, is neque pulchritudinem boni intelligere videtur, neque hili facere ſocietatem mortalium. Abhorrent enim homines non plane barbari ab omnibus ruſticis & inconcinnis modis, quales ſunt inſulſitas, impuritas, querimonia muliebris, leuitas puerilis, mo-

roſitas ſenilis, ac velut morbo decumbentium, garrulitas, & quidquid eſt næuorum ſimilium, (ſunt enim ſexcenti) in quibus ſingulis fortaſſe capitale nihil eſt, vt paululum deformitatis, ſed collectis vel omnibus vel aliquibus, turpitudinis & vitij tantum eſt, quod alienet plurimorum animos. Itaque in iis maculis eluendis (nemo autem non habet vel pauculas) laborandum eſt, cum omnibus adoleſcentibus honeſto loco natis, tum inprimis literas colentibus. Nobis namque propoſitum eſſe perpetuo debet, vt vitam, omneſque eius partes expoliamus. Sileo, qui me familiariter vtuntur, ſi quid tale occurrat, familiariter monere, neque tamen ſine aculeo: & eueniunt quotidie, de quibus commonefieri adoleſcentes nominatim, ipſis eſſet per quam vtile, & apprime neceſſarium. Non poſſum facere, quin ex iis & hic exponam vnum aut alterum. In via obſeruantiam erga pares & ſuperiores oſtendere rectum eſt: & hoc decet maxime adoleſcentiores. Sed videas multos per viam ingredi, qui prætereuntem & obuium factum videant neminem, tanquam ſtupidi, aut abrepti animo è ſocietate hominum in cogitationem rerum cœleſtium: quorum hoc ſi fit, quod eſſe reor minime, alieno fit prorſus loco. Quod non deceat, apparet; neque igitur latet, quid deceat: non quidem vagari oculis, & tãquam eorum iubare quemque obuiam perſtringere, ſed cogitare, vbi ſis gentium & videre, quem videas, neque negligere videre eos, qui te videant; in quo forte alius arrogantiæ eſſe credat plurimum: Sed in hoc (alterum nunc referam) ruſticam arrogantiam ſtatim deprehenderis, quod in multis, ex quo primum huc veni, reprehendi ſæpius cum ſtomacho, atq;

ita

ita parum profeci, vt me pœniteat. Si, quem honore dignum exiſtimes, hic tibi fiat obuiam; aperire caput conſueuimus vt olim honoratiori aſſurgebant, quod & obſeruatur hodie. Hoc quemadmodum fiat, refert nonnihil, adeoque multum meo iudicio. Videas qui quaſi deliberent, ſibi quid faciendum ſit, & ſitne ipſis potius ab altero, quem ſuperiorem eſſe, vel ſaltem æqualem non dubitent, hic honos expectandus. Itaque obuiam eunt erecti, vſque dum ad latus accedant, ibi demum manu ſublata pileum contingunt: hoc enim per quam ciuile eſſe exiſtimant, neque loco mouent, aut vix etiam. Qui malum hic faſtus? quæue ruſticitas eſt? Quem quis ſe reuereri hoc genere quaſi ceremoniæ oſtendere velit, hic de via deflectat leuiter; vno alteroue paſſu prius quam accedat caput aperiat, facie haud auerſa; hæc ſunt modeſtiæ ſigna, & ſummiſſionis. De nugis opinetur quis me nimium verborum facere, ſed in hoc genere nugarum nimium etiam & turpiter peccatur: hæc qui ſibi non animaduertenda exiſtimat, exiſtimet ſibi in ſolitudine, non in cœtu hominum viuendum eſſe. Vos adoleſcentes nobiles & ingenui, quoniam viuere inter homines conſtituiſtis, hæc minuta, quæſo ne negligite: hunc librum, me auctore, perlegite: affirmo vobis, neminem omnium, qui conſilio hoc meo vtentur, futurum, quin proficiat in moribus plurimum, mihique agat gratias ſingulares, & ipſi ſcriptori, & interpreti: Valete. Roſtochii Idibus ſextilis

Anno 1578.

DE TRIBVS VIRTVTIBVS COGNATIS, QVARVM PERPETVVS EST VSVS in conſuetudine hominum.

DE iis vt dicam, locus requirere videtur; neque tamen ad dicendum loci hic ſatis eſt. Igitur earum pleniorem explicationem reiiciemus in aliud tempus ipſæ vero cuiuſmodi ſint, adumbrare conabimur; principis philoſophorum ingreſſi veſtigiis. Neque nunc diſputabo, veræne ſint virtutes, an tantum harum imagines vel ſimilitudines aliquæ: hoc conſtat, mediocritates eſſe, valde item inter ſe ſimiles, & in communicatione ſermonis & actionum verſari, hæc habent communia. ſic vero differunt, vt vna harum in veritate omnium, quæ dicimus & facimus, poſita ſit; reliquæ duæ in iucunditate eorundem: ſed non tamen eodem modo: poſteriorum enim vna eſt in ludo iocoque, altera in cunctis ceteris vitæ partibus. Sed iam ipſas haſce virtutes ſiue mediocritates, neque non, quæ in illis rebus ſint extrema, videamus. Magis enim hoc pacto illuceſcet, mediocritatem eſſe in omnibus rebus rectiſſimam & maxime laudabilem. Primum de veritate, quam cuiuſmodi intelligamus, perſpicuum erit; vbi ipſum veracem deſcripſerimus. Non autem de eo verace dicimus in præſentia, qui eſt ſeruans contra-

ctuum,

ctuum, & in iis datam fidem non fallit, quæ ſpectant ad iniuſtitiam & iuſtitiam: hic namque non ſolum verax, ſed & iuſtus appellabitur: ſed qui in cæteris omnibus vbi non vſque adeo referre videretur, & verbis & factis ἀληθέυει, hoc eſt, ſe veracem præſtat, neque ſimulans vllo modo, quæ non ſint, neque diſsimulans quæ ſint. Qui ſimulat, & maiora efficit, vel vultu, vel verbis, vel actione, vel quocunque modo, quam vel ipſe ſit, vel ſint ipſæ res, nominatur ἀλαζὼν, iactator ſcilicet & glorioſus, quales ſunt apud Comicos Pyrgopolynices & Thraſo. Neque vnum eſt iactatorum genus. Sunt aliqui horum eiuſmodi nullius rei gratia, homines non tam mali, quam vani: alii gloriæ & honoris cauſa, qui non non probari ſane poſſunt, ſed tamen non nimium ſunt reprehendendi: tertij ob quæſtum: quo genere nihil eſt deformius. Diſsimulatores ſunt, qui extenuant ſe ipſos & ſua: hi non incurrunt in grauem reprehenſionem: imo videntur eſſe moribus politis, cum videantur à ſe omnem faſtus ſuſpicionem remouere: quo nomine celebratus fuit maxime Socrates. Sed ſunt in his poſterioribus, qui minuta, quæque manifeſta ſunt, tegere velint, & infitiari conentur, homines ſane odio digni, haud vulgaris iactandi artis repertores. Secundum eſt, vt dicam, quo pacto omnes vitæ partes ſuauitate aliqua condiantur, quam virtutem amicitiam, neceſſario magis, quam proprio nomine, appellat Ariſtoteles nos non male, opinor, humanitatem dixerimus. Eſt quoddam genus hominum, qui in conſuetudine & conuictu, & in ſermonis negotiorumque communicatione omnia gratificantur omnibus, omnia collaudant, quæ aliis placere

putent, neque cuiquam, vbi vel maxime opus ſit, aduerſantur, ſed ita ſibi perſuadent, moleſtiæ nemini omnium quidquam eſſe creandum. Sunt autem hi recte viuendi rationis imperiti: ſed tum etiam improbi cum ſuam interea rem agunt, & aliis propterea plus tribuunt quam conueniat, quamque illi in ſe habeant, ſuæ vtilitatis cauſa. Hic eſt ille Menandri Colax, & Terentii Gnatho. Contra ſunt alii, qui leuiſſima, vel etiam nulla de cauſa adoriuntur quemlibet, & pene omne ſuum ſtudium ponunt in carpendis & reprehendendis aliis: neque iis curæ tantillum eſt, quo minus cuiquam dolorem quacunque ratione inurant, nullo loco, neque fugitantes litium, neque ſtudioſi beneuolentiæ, quæque ex hac oritur, ſuauis coniunctionis. Medius inter hos eſt humanitate præditus, ſiue amicus, non ille, qui alterum animi affectione proſequitur, de quo longe alia eſſet inſtituenda diſputatio. Sed hic, qui pariter ſe erga hoſpites & notos, erga familiares & alienos, erga aliquos è media plebe, & principem Reipub. geret, ſed erga quemque horum, vti conuenit, dabitque operam vt conſuetudinem omnium vel ſuauitate afficiat, vel nulla re moleſtet: neque diſcedat tamen in hoc ſuo inſtituto ab honeſtate, ſed ſemper, tum quid honeſtum ſit, tum quid conferat, diſpiciet: immo, quod cui erat dedecori, aut damnum importabit, in eo ſe dabit nemini, ſed malet alterum, vt vir bonus, neque tamen incautus, offendere: vt in pauca conferam, humanus idem erit & grauis: humanitas ſuauitatem in conuictu parit: grauitas tuetur honeſtatem, & vtilitati vna conſulit. Improba autem indulgentia eſt, quæ vitæ commoda euertit, & feneſtram vitiis patefacit. Dicamus & de tertia. Vt recreando

ſreando corpori ſomno, ita & animo opus eſt vacationē à curis & negotiis, ac requiete aliqua, quæ cum ſit in ludo & ioco, concinne quoque & non indecore fieri arbitramur, vt etiam ludentes & dicamus & audiamus, & eiuſmodi, & quemadmodum tum dici, tum audiri rectum eſt. Scurræ ſunt; qui vndecunque aucupantur ridicula; & potius hoc ſtudent, vt riſum moueant, quam vt acute quid dicant, aut neminem laceſſant: neq; in hoc aut loco, aut tempore, aut dignitati cuiuſquam parcunt ſibiq; hanc licentiam ſumunt, neque in eo ſe peccare arbitrantur, & quemlibet & quacunque in re ludificandi. Hoc equidem eſt per quam impurū genus hominum; horum maxime, qui ex turpibus & obſcœnis riſum excitant: alterum autem ruſticum, eorum ſcilicet, qui neque eleganter alios queunt tangere, neque morſiunculam, quantumuis nihil vulneret, accipere, partim præter modum moroſi, qui nihil perpetiantur, partim ſtipites, qui nihil agant. Reliqui ſunt vrbani, Græcis ἐυτράπελοι dicti, qui ea iocantes dicunt in alios, & ex aliis audiunt, quæ digna ſunt homine libero; & viro æquo bono, in quibus nihil inſit impuri, nihil etiam fellis, ſed ingenii aliquid, & aliquid feſtiuitatis: quæ dexteritas in admodum etiam paucos cadit. Tantum de hiſce tribus mediocritatibus, conſuetudini mortalium valde accommodatis, delibaſſe hoc loco ſufficiat, qui pleniorem explicationem non capiebat.

Ioannes Caſelius.

IO. CASÆ.

GALATEVS IN QVO SVB PERSONA SENIS ADOLESCENTEM INFORMANTIS, diſputatur, qui mores in quotidiano cum aliis conuictu aut tenendi ſint, aut fugiendi; ex Italico Latinus, Interprete.

NATHANE CHYTRÆO.

CVm iter hoc vitæ humanæ, quod à me, vt vides, magna ex parte iam eſt confectum, tu nunc primum ingrediaris: egoque, quod vere & ex animo facio, multum te amem: conſtitui mecum, vnum atque alterum locum tibi indicare, ad quem ipſe experiētia edoctus, metuerē, ne facilime vel laberere, vel quocunq; ſaltem modò aberrares. Vt ita præceptis his meis inſtructus, cum ſalute animæ tuæ, & laude honoreque familiæ tuæ generoſæ & nobilis, rectam viā poſſes tenere. Quia vero fieri poteſt, vt ætas hæc tua, quæ adhuc tenera eſt, ad grauiores ſubtilioreſque doctrinas percipiendum minus ſit idonea: ego, iſtis in tempus magis conueniens reſeruatis, in præſentia de iis, quæ

tamen forte nonnullis friuola videri poſſint, agere incipiam, nimirum quibus rebus ſtudere & qua ratione vitam inſtituere aliquem oporteat, vt in familiari cum aliis hominibus conuerſatione, bene moratus, amabilis, & elegans habeatur, quod ipſum profecto vel reuera virtus eſt, vel res propter ſimilitudinem quam proxime ad virtutem accedens. Etiamſi enim, aut liberalem, aut conſtantem, aut magnanimum eſſe, per ſe, ſine vllo dubio, laudabilius & maius ſit, quam eſſe moribus honeſte eleganterque politum: nihilominus tamen vſu venit, vt morum illa ſuauitas, & geſtuum ſermoniſque decora & bella concinnitas, non minus poſſeſſori ſuo adiumenti afferant, quam animi vel magnitudo, vel alacritas, his ipſis virtutibus ornato conferre queant. Illa enim frequenter, & quidem ſingulis diebus multis modis ſunt vſurpanda, cum quotidie vnicuique neceſſe ſit aliorum hominum conſuetudine & colloquio vti: ſed iuſtitia, fortitudo, & aliȩ virtutes nobiliores magiſque eximiæ, multo exercentur rarius. neque enim homo liberalis aut magnanimus obſtrictus eſt, vt ſingulis horis magnifice agat, cum hoc nullo à quoquam viri poſſit modo. ſimiliter quoque fieri animoſi & cordati, vt virtutis ſuæ excellentiam declarent, rariſſime ſunt obligati. Quapropter quanto hæc magnitudine & quaſi pondere ſuo vincunt illa, tanto ab his, & numero, & vſu crebrius iterato, viciſſim illa ſuperantur. Poſſem ego tibi, niſi factu inde-

Propoſitio.

Doctrina huius vtilitas & neceſſitas.

corum eſſet, multos nominatim quoq; recenſere, qui cum alias precii non vſque adeo magni eſſent, tamen omnibus modis permagno ſunt æſtimati, vnam tantum ob cauſam, quod in ſua, quam cum aliis haberẽt, cõſuetudine, indolem quandam feſtiuam & gratioſam præ ſe ferrent: qua quidem ipſa adiuti & euecti; ad ſummos ampliſſimarum dignitatũ gratus peruenerunt, longiſſimoque poſt ſe interuallo reliquerunt eo, qui virtutibus illis, de quibus paulo ante dicebamus, longe nobilioribus, magiſq; egregiis excellebant. Sicuti enim mores amabiles & ingenui vim habent excitandi beneuolẽtiam eorum quibus cum viuimus: ita ex aduerſo mores rigidi & inſulſi, in odium & cõtemptum noſtri alios impellunt. Quare etiamſi legibus publicis nulla pœna morum ruſticitati odioſæ, vtpote peccato leuiculo (magnum enim reuera non eſt) ſit conſtituta: nihilominus tamen videmus ipſam naturã caſtigationẽ ſatis aſpera nos corrigere, cum efficit, vt hanc ob cauſam cõſortio & beneuolentia hominum plane ſpoliemur. Et certe, ſicuti alia grauia peccata plus detrimenti afferunt, ita hæc leuiora, plures, aut minimum, crebriores moleſtias inducunt. Quemadmodũ enim homines, qui à feris beſtiis ſibi metuunt, minutaque illa animalcula, quales ſunt culices, aut muſcæ, formidine non dignantur, & tamen nihilominus propter continuas moleſtias, quibus ab hoc genere inquietamur, multo frequẽtius ab his beſtiolis, quam beluis illis immani-

bus bilem ſibi ſentiunt moueri: ita accidit, vt plerique omnes, duplo maiori odio proſequā-tur homines intractibiles & agreſtes, quam alios etiam inſigniter flagitioſos. Quapropter dubium eſſe nemini poteſt, quin vnicuique, qui non in ſolitudine, aut eremitarum latibulis, ſed in cœtu & frequentia viuere conſtituerit, mirū in modum vtile ſit, ſi in moribus, ſuaq; cum aliis conuerſatione gratioſus & iucundus eſſe norit. Taceo iam quod aliæ virtutes multa & varia ſupellectile indigent, quæ ſi deſit, parum illę aut nihil proficiunt, cum interim hæc morum elegantia, etiam ſine patrimonio & opulēta & valida ſit, vtpote quæ in verbis tantum & actionibus conſiſtat. Hac autem in parte quo facilius fungi officio tuo poſſis, ſciēdum tibi eſt conuenire, vt morem viuendi tuum attemperes & moderes, non tuo arbitrio, ſed ad voluntatem & deſideria eorum quibus cum conuerſaris, ad quæ quidem ille, certa tamen cum moderatione, omnino eſt dirigendus. Nam qui in vſu & conuictu vitæ quotidianæ, aliorum voluntati cum quodam prolubio ſupra modum obſecundare ſtudet, ille vel paraſitus, vel geſticulator, vel forte etiam ſcurra potius, quam homo bene moratus & honeſtus eſſe videatur: ſicuti è contrario is qui nihil penſi habet, ſiue placeat aliis, ſiue diſpliceat, homo rudis, incompoſitus, & agreſtis merito cenſetur. Vt igitur tum cum non propriæ ſed alienæ voluptatis rationem habemus, mores noſtri ſint grati & iucundi, princi-

pio inueſtigandum nobis eſt, qualeſnam res illę ſint, quibus in vniuerſum maxima pars hominum delectantur: & quales illæ, quas tanquam moleſtas vt plurimum auerſantur. Hinc enim qui mores in conuerſatione cum aliis aut vitandi, aut eligendi ſint; facile deprehendemus.

Summa huius libelli.

Dicimus igitur quod quælibet res, quæ cuipiam ex ſenſibus moleſta & grauis, aut appetentiæ cõtraria eſt, & præterea quæ imaginem rerum turpiũ & odioſarum animo ſubiicit, aut quæ etiam aduerſatur intellectui, quod inquam huiuſmodi res, aut actio, tanquã magnopere aliis diſplicẽs, accurate debeat vitari. Quapropter in præſentia aliorum nõ ſolum non faciendæ ſunt res impuræ aut fœtidæ aut tædioſæ aut ſtomachum mouentes, verum etiam mentionem earum fieri dedecet. Neque enim actio tantum aut recordatio rerum huiuſcemodi diſplicet, ſed eas quocunq; vel modo, vel geſtu, imaginationi alterius adumbrare, vehementer moleſtum eſſe conſueuit.

Exempla eorum quæ ſenſibus aduerſantur.

Proinde indecora & inconueniens eorum eſt conſuetudo, qui in aliorum conſpectu, palam quamcunq; libet corporis ſui partem manu contrectant. Ad eundem modum, non decet hominem honeſtum & bene moratum, aliis intuentibus, naturali neceſſitati ſe præpa-

rare, aut poſtquam à ſella familiari redierit,in eorũ præſentia femoralia thoraci adſtringere. Item,ſi me audiet,ex huiuſmodi locis regreſſus, ne quidem manus in honeſta ſodalitate abluet, ſiquidem eo ipſo quod lauat,ſpeciem quandam ſpurciciei animis eorum repræſentat. Eandem quoque ob cauſam conſuetudo minime decora eſt,ſi quis re quapiam odioſa,quod fit, in viis oblata,ſtatim ad comitem ſe conuertat, eique illam mõſtret: multo minus decebit alteri rem fœtidam, vt olfaciat, porrigere. quod nonnunquam facere aliqui ſolent, atque adeo vrgere, cum etiam naribus aliorum rem illam graueolentem admouent,& inquinant,Odorare amabo quantopere hoc fœteat: cum potius dicendum eſſet,Quia fœtet,noli odorari. Sicuti iam hi ipſi eiuſdemq; generis mores moleſtiam afferunt iis ſenſibus ad quos proprie pertinẽt: ita aures quoq; offenduntur crepitu dentium,cum ii compreſſi quaſi atteruntur:item flatu,ſtridore,& ſtrepitu ex colliſione duorum lapidũ, aut frictione ferramentorum orto: à quibus quantum fieri poteſt, quilibet ſibi cauebit. Neque tamen vnam hanc cautionem ſibi ſufficere exiſtimabit,verum etiam à cantu, præſertim ſi cui *Auditui moleſta.* vox inconcinna & acerba ſit, ſocioſque quibus cum cantitet,nõ habeat, ſtudioſiſſime abſtinebit. Quod tamen à pauciſſimis fieri fere ſolet, Immo ii qui natura minime idonei ſunt, quam ſæpiſſime tale quid agere videntur. Sunt quoq; nonnulli qui in tuſſi aut ſternutamento tan-

tum concitant ſonitum, vt aliorum aures quaſi obtundant, quorum aliqui eo ipſo tempore faciem quoq; eorum quibus adſunt, valde equidem inconſiderate & immodeſte, pituitæ ſuæ aſpergine collinunt. Inuenias quoque qui inter oſcitandum; aut vlulare, aut rudere ſoleat, quique tum, ore ſic diducto & hiante, nihilominus loqui & ſermonem ſuum cõtinuare velit: emittens interim vocem ſeu potius fremitum quẽdam, non diſſimilem ei, qui additur in mutis, cum ſe ipſos vi quadam ad loquendum impellere annituntur. Qui quidem mores indecori, ſimulque & auribus & oculis ingratiſſimi, accurate ſunt fugiendi. Huc accedit, quod homo bene moratus à nimia quoque oſcedine ſibi debeat temperare, & id non ſolum ob cauſas enumeratas, verum etiã quod huiuſmodi oſcitatio videatur oriri ex quadam ſatietate & faſtidio: quod is, qui vſque adeo ſæpe oſcitat, alibi potius, quam vbi eſt, eſſe deſideret: atque adeo præſens ſodalitium, colloquia & mores eorum quibus cum eſt, auerſetur. Et certe etiamſi quis plerunque ad oſcitandum promptus ſit: nihilominus tamen, ſi negotio aliquo iucundo, aut meditatione ſeria ſit occupatus, facile oſcitationis obliuiſcitur. Sed ei qui ab omni negotio vacuus & ſegnis eſt, facilime ſe ea ſuggerit. Proinde fit, ſi vnus aliquis oſcitet, in cœtu hominũ ab animo & corpore otioſorum, vt tum quoq; omnes illi, quod ſæpenumero factum videre potuiſti, continuo iterum oſcitent: quaſi ille in

memo-

memoriā hoc eis reuocarit, quod ipſi, ſi modo recordati eſſent, priores facere voluiſſēt. Cumque in lingua quoq; Latina hominem oſcitantem cum negligente & ſocorde plane eundem eſſe conſtet; vitanda eſt peruerſa hæc conſuetudo, quæ, vt diximus, & viſu iniucunda, & auditu odioſa, & appetitui quoque ipſi contraria eſt. Ea enim ſi quando vtamur, non ſolum ſignificamus, nobis ſodalitium, in quo ſumus, non magnopere placere: verum de nobiſmet ipſis indicium quoddam facimus parum honorificum, quod ſcilicet ſimus animo ſomnolento & veternoſo quod ipſum certe parum nos iucundos & amabiles facit iis, quibus cum conuerſamur. Indecorum quoque eſt cum ſcreatu & tuſſi ſaliuam & mucū expectorare, aut poſtquam naſum emūxeris, in ſtrophiolum, diductum inſpicere, quaſi fieri potuerit, vt margaritæ tibi aut pyropi è cerebro exciderent. Huiuſmodi enim in aliorum conuictu actiones & mores ita pleni ſunt faſtidii & nauſeæ, vt propter eos nemo nobis bene cupere poſſit. Immo ſi quis forte animo in nos propenſiori eſſet, is iſtis & ſimilibus plane à nobis alienaretur. Poſſent ſane homines iſti tā male morati, & tamen aliorum beneuolentiam & amorem affectantes, comparari cum aliqua muliercula mucida & pannoſa, cineribus incubante, eoſque huc illuc manibus pedibuſq; diſſipante, & inſuper ſubinde tuſſiente, ſcreante, ſaliuamque & ſputum ſuum expectorante, iiſq; circumquaq; omnia inquinante & fœdante, &

Vt ameris amabilis eſto.

tamen ſibi imaginante, hoc pacto pro cum ſe aliquem iuuenculum & formoſum ſibi allecturã & acquiſituram eſſe. Cum tamẽ ea ratione magis à ſe ipſum alienatura, & quaſi nauſeabundũ, repulſura videatur, Inconcinnus quoque mos eſt, ſi quis poculo vini, è quo alius eſt bibuturus aut cibo qui alteri apponitur comedẽdus, odorandi gratia naſum admoueat, Immo nolim quenquam vel ea quoq; odorari, quæ ipſe comedere aut bibere cogitat. ſiquidem fieri poteſt, vt ex naribus aliquid excitat, ꝙ alteri nauſeam cõcitet, etiamſi eo forte tempore nihil deciderit. Præterea ſi meo conſilio obtemperare velis, vitrum è quo tu biberis, non porriges alteri vt bibat, niſi is forte pluſquam domeſtica familiaritate tibi ſit coniunctus. Multo minus pyrum, aut quemcunque ex fructibus alium, dentibus tuis arroſum dabis alteri. neque hoc te mouebit, quod res iam enumeratæ, tibi non magni momenti eſſe videantur: vulnera enim, etiam minuta, ſi multa ſint, hominem ſolent occidere. Fuit iampridem Veronæ Antiſtes ſacrarum literarum ſcientiſſimus, omniq; liberali doctrina politiſſimus, cui nomen erat Ioanni Mattheo Gilberto. Is inter cæteras ſuas conſuetudines laude digniſſimas, ea quoq; morũ elegantia, eaque liberalitate fuit erga homines ingenuos & honeſtos ſuo hoſpitio vtentes, vt eos domi ſuæ omni honore afficeret, non quidem magnificentia, quæ modum excederet, ſed mediocri, atque adeo tali, quę hominem ſacris initiatum

COMES *Richardus*

tiatum deceret. Euenit igitur, cum eo tempore Veronam tranſiret homo quidā nobilis, quem comitem Richardum appellabant, vt is dies complures cum hoc Epiſcopo, eiuſque familia, in qua plerique omnes & moribus & litteris ſatis bene erant exculti, commoraretur. Quibus ipſis cum hic hoſpes: inter viros ordinis equeſtris maxime politus & feſtiuus eſſe videretur, magnopere eum laudabant, & omnibus deinceps quoque modis maximi eum feciſſent: niſi minuta quædam labecula, moribus illius fuiſſet aſperſa. Quam cum præſul vir intelligens ipſe quoq; animaduertiſſet: rem illam omnem cum quibuſdam ſuorum intima ſibi familiaritate coniunctis, communicauit. qui etiamſi talem hoſpitem temere offendere vererentur, tandem tamen de eo amice Comitem admonere operæ precium eſſe cenſuerunt. Quocirca quando iam Comes bona cum gratia die ſequenti diſceſſurus, omnibus valedixiſſet, Epiſcopus vnum quempiam ex familiaribus hominem prudentem & circumſpectum accerſiuit, eique hoc negotii dedit, vt Comitem equo inſidentem, iterq; iam ingreſſurum aliquouſque, tanquam honorificæ affectationis gratia, deduceret: atque inter eundum, vbi opportunum videretur, quam maxime fieri poſſet, comiter amiceq; illud, de quo inter ipſos iam antea cōuenerat, ei ſignificaret. Erat autem ille Epiſcopi domeſticus homo prouecta ætate, ſingulari doctrina, incredibili humanitate, præclara

eloquentia, vultu quoque admodum ſuaui, & gratioſo: qui ipſe bonam vitæ ſuæ partem in aulis magnorum principum conſumpſerat, vocabaturque & forte etiamnum vocatur, Galateus, *Galateus.* cuius petitione & conſilio inductus, primo hunc ipſum libellum cœpi cõſcribere. Is igitur cũ Comiti abeũti à latere eſſet, ſtatim ſe in ſuauiſſimum de variis rebus ſermoné apud ipſum inſinuauit. cumq; iam de his, iam de aliis rebus iucunde fabulati eſſent, tempuſque Veronam regrediendi prope adeſſe videretur, atque ipſe adeo Comes inſtaret, vt rediret ad ſuos, eoque illum nomine retrorſum aliquãtulum deduceret: ibi tandem Galateus, vultu ſereno, verbiſq; iucundiſſimis, ita Comitem eſt allocutus: Maximas tibi, mi Domine, Antiſtes Veronenſis, dominus meus gratias agit, pro honore qui ſibi à te habitus eſt, eo ipſo, quod non dedignatus es hic diuertere, & in ædium ſuarum anguſtiis aliquãtiſper cõmorari. Præterea cum hanc tuã erga ſe humanitatem plane ſingularem eſſe agnoſceret: iniunxit mihi, vt munus aliquod ſuo nomine tibi offerrem, maioremque in modum à te petit, vt idipſum bono lætoq; animo accipere tibi libeat. Munus autem hoc eſt: iudicat te dominus Epiſcopus virum nobilem eſſe, vſque adeo venuſtum, optimiſq; moribus excultum, vt vix vnquam tui hac in parte ſimilem vidiſſe ſe arbitretur. Quo etiam nomine factum eſt, vt cum accuratiori quadam cõſideratione mores tuos contemplaretur, ſigillatimque omnia examina-

mina-

minaret: nihil omnino in iis inueniret, quod non ſummopere & feſtiuum & commendatione digniſſimum eſſe videretur. Immo ſine vlla plane exceptione te probaret, niſi vni ſolummodo actui tuo, nonnihil deformitatis ineſſet, quando ſcilicet in menſa inter manducandum quaſſatione oris & labiorum, velut poppyſmate quodam nouo, aures aſſidentium non mediocriter offendis. Id quod dominus pręſul indicari tibi voluit, petiitque, vt quàm accuratiſſime deinceps à vitioſa hac cõſuetudine ſtudeas abſtinere: & vt amicam hanc reprehenſionem, cũ admonitione coniunctam, loco precioſiſſimi muneris bono animo accipias. Certo enim hoc ſibi perſuadet, neminem in vniuerſo orbe eſſe, qui tali te munere cohoneſtaret. Comes, qui de hoc defectu ſuo nunquam antea eſſet admonitus, quando audiret, tale quid quodammodo ſibi exprobrari, primo aliquantulum erubuit: ſed tamen in morem viri cordati ſatis cito ſeipſum recolligens, ita reſpondit: Quęſo meis verbis hæc ad Epiſcopum referas. Si dona, quibus ſe mutuo homines afficiunt, omnia talia eſſent, quale hoc ipſius eſt, futurum profecto, vt illi multo, quam iam ſunt, eſſent opulentiores. Pro feſtiua tamen hac ipſius in me humanitate & beneficentia magnas illi gratias ages, certoque illi confirmabis, me deinceps ſine dubio, & ſatis accurate hoc vitium meum eſſe emendaturum. Tu interim bene vale, & ſaluus ad tuos redi. Quid iam credemus Epiſcopum hunc cum ſua

nobili familia dicturum fuiſſe iſtis, quos nonnunquam porcorum inſtar videmus, toto quaſi roſtro iuri immerſos, vt non ſemel quidem faciem attollant, aut oculos, atq; adeo multo minus manus à cibis appoſitis quoquā dimoueant ſuas: qui item buccis vſq; adeo vtrinq; inflatis, quaſi vel tuba canerent, vel flatu foculum excitarent, non edunt cibos, ſed deglutiunt. quos videas manus pene ad cubitum vſque commaculare, & mantilia eum in modum cōſpurcare vt panni illi laceri, & ſordibus abſtergendis deſtinati, nōnunquam his mundiores eſſe deprehendantur. Iis tamen illi mantilibus non verētur ſæpiuſcule, aut ſudorem detergere (qui propter feſtinationem & ſtudium vorandi immodicum vberrime emanans, per frontem & faciem illorum circumquaque in collum defluit) aut etiam naſum, quotieſcunq; libuerit, emungere. Profecto homines morib. vſq; adeo ſpurcis inquinati, non indigni modo ſunt, qui mundiſſimo nobilis huius Antiſtitis hoſpitio excipiantur, verū etiam ex omnibus iis locis; vbi ſunt homines elegantes, plane eſſent eiiciēdi. Cauebit igitur ſibi homo moratus, ne ita digitos ſuos inungat, vt inde mantile contaminetur: id enim nauſeam mouet videnti. Conſuetudo etiam minime polita eſt, eum, qui tibi in cibum appoſitus eſt, panem fricando comminuere. Pueri quoq; ingenui qui circa menſæ miniſteria ſunt occupati, nullo modo aut caput, aut quācunq; alteram corporis partem in conſpectu domini

ſui,

ſui,cibum ſumentis,ſcabere debent aut fricare, neque etiam,quæcunque ea ſint,membra veſtibus cooperta,manibus cõtingere,aut geſtuum ſimilitudine eius rei indiciũ præ ſe ferre. Quẽadmodum pocillatores nonnulli, ſupina quadam incuria inſulſi faciunt, cum aut manus in ſinum inſerunt,aut eaſdem à tergo ſub veſtibus occultãt. Eas enim tum palam potius in cõſpectum aliorum,citra vllam ſuſpicionem, proferre debebant: & quidẽ ita accurate lotas & mũdas, vt ne minimum quidem ſpurciciei alicuius ſignum in iis appareret. Iidem cum aut patinas menſæ imponẽdas afferunt, aut pocula bibituro porrigunt, eo ipſo tẽpore ab eiectione ſputi & tuſſiendo,&quidem multò magis à ſternutando ſibi cauebunt. In his enim & ſimilibus, tantundem poteſt, tantundemque faſtidii domino affert,alicuius immundiciei ſuſpicio: quã ſi reuera tale quid contigiſſe conſtaret.Proinde operam dent miniſtri, ne dominis ſuis huiuſmodi occaſiones ſiniſtre ſuſpicandi præbeant. Quod enim fieri potuit, æque tædioſum eſt,ac ſi reuera factum fuiſſet. Quod ſi aliquando aut pyrum aſſatum foco exemeris,aut panẽ toſtum ſuſtuleris è prunis, nõ debebis in ea, cineris tollendi gratia,inflare. Dici enim ſolet,nunquam eſſe ventum ſine aqua, ſed potius vel ad patellã leui brachio cinerem excuties,vel num qua alia ratione commode eximi poſſit,cogitabis. Linteolum quoq; tuum, quaſi recens lotum,alteri non porriges:is enim cui porrigis; an mundum

ſit ignorat, ideoque facile hoc modo poſſet offendi. Quando quis cum altero colloquitur, nõ ita prope ei aſtabit, vt ſuo illũ halitu poſſit contingere. Inuenias enim, qui alterius animam, etiam non graueolentem, ferre nequeant. Hi & huius generis mores & conſuetudines hominibus magnopere diſplicent, & propterea ſtudioſe ſunt vitandi. Fieri enim poteſt, vt quod ſupra dictum eſt, alicui ex ſenſibus eorum, quibus cũ viuimus, moleſte aduerſentur. Iam vero de iis mentionem faciamus, quæ ſine peculiari aliqua ſenſuum moleſtia, tamen appetitioni & deſideriis plerorumque hominum; ſi quando fiant, diſplicent. Scito igitur, res multas & varias eſſe, quas naturali quodam inſtinctu homines appetant. Siquidem alii iracundiæ, alii gulæ, alii libidinibus, alii auaritiæ, alii aliis appetitionibus cupiunt ſatisfacere. In mutua vero cum aliis cõmunione; non videntur homines aliquid eorũ quæ commemorata iam ſunt, vel requirere vel appetere poſſe. Etenim illa, non in moribus, congreſſibus, & communicatione ſermonum familiari, ſed in aliis quibuſdam conſiſtunt. Ea igitur hac in parte expetũt, quæ ex familiari hominum inter ſe conuerſatione proficiſci pręſtarique poſſunt: qualia videntur eſſe, erga eos quibus cum viuimus beneuolentia & obſeruantia, cum ſuaui quadam voluptate, aliiſque his non diſſimilibus coniuncta. Propterea nec dici nec fieri debent, quæ indicio eſſe poſſint, eos quorũ conuictu vtimur, aut non valde à nobis amari,

aut

aut certe non magni fieri. Proinde conſuetudo parum concinna videtur eſſe, quæ tamen multis in vſu eſt, vt dedita quaſi opera obdormiant, eo in loco, vbi ſocietas quæpiam honeſta mutuis colloquiis ſe oblectat. Hoc enim qui faciũt, eo ipſo demonſtrant, ſe eos qui adſunt non magni facere, eorumque præſentiam, & colloquia paruæ ſibi curæ eſſe. Mitto iam, quod inter dormiendum, præſertim ſi quis parum commode habeat, aliquid cõmitti poteſt, quod & auditu & viſu ingratũ ſit. Et quidẽ iiſdem illis ſomnolẽtis, videas non raro ſudorem per faciem, ſaliuamq; per barbam defluere, eandemq; ob cauſam mos videtur moleſtia non carens, ſi quis ex honeſtorum hominum inter ſe confabulantiũ conceſſu ſurgat, & per cubiculum inambulet. Reperias quoque nonnullos, qui ita ſe mouent contorquent, extendunt, item qui oſcitant, ſeq; iam in hoc, iam in alterum latus conuertunt, quaſi eo ipſo tempore febri corriperentur. Id magnum profecto ſignum eſt, quod ſodalitatẽ, cui interſunt, habeant faſtidio. Similiter male faciunt ii, qui modo hanc, modo illam epiſtolam ex pera extrahunt & legunt: & his quidem multo peius ille, qui forpicula aut cultello educto, totum ſe ad vngues reſecandum componit, quaſi præſentem ſocietatem nihil faciat, atque ideo, fallendi temporis gratia, aliquid aliunde recreationis ſibi quærat. Ab iſtis quoque moribus, qui multis tamẽ in vſu ſunt, ſtudioſe eſt abſtinendũ, nimirum, vt intra dentes non cante-

mus, aut, digitis pulſum tympanorũ imitemur, aut alterna pedũ iactatione nos deformemus. Omnibus enim iſtis quis indicat, nihil ſe alios curare. Præterea nequaquã decet, ita ſeſſum ſe collocare, vt alteri vel ſcapulas obuertas, vel eũ in modum pedem extollas, vt eæ partes corporis quas veſtibus tegi conuenit, aliorum oculis ſubiiciantur. Hęc enim, & eiuſdem generis quę ſunt, fieri non ſolent, niſi apud eos, quorum de nobis iudicium non veremur. Verum tamẽ eſt, ſi vir aliquis primarius, tale quid in conſpectu ſui cuiuſdam domeſtici, aut amici tenuioris faceret, eum non tam ſuperbiæ, quam amoris & familiaritatis indicium, eo modo eſſe facturũ. Debet etiam quilibet corpore erecto eſſe, neque in alterum tanquam in fulcrum ſe inclinare. Qui cum altero colloquitur, non illi latus ſubinde fodiat, quod multi poſt ſingula quæq; verba facere conſueuerunt, ita fere loquendo: *An non dixi ego verum? Ecquid tibi videtur? quid ais mi domine*? dumque ita dicunt, continuo interim cubito ſuo alterum ſtimulant.

Veſtes.

Honeſte quoque, pro ratione conditionis & ætatis ſuæ veſtitus, quilibet in publicum prodeat: qui enim aliter facit, alios prę ſe videtur contemnere. Quam ob cauſam grauiter ferebant, ſeque deſpici arbitrabantur ciues Patauini, ſi quando obambulare per ciuitatem ſuam conſpicarentur nobilem Venetum, non toga honoratiore, ſe tunica tantum curta indutum, quaſi ſibi in pago aliquo verſari videretur. Veſtes præterea

non

non ſolum ex panno bono confectæ ſint, verũ etiam cum firma quadã animi inductione adigat ſe ipſum vnuſquiſque, vt, quãtum fieri poteſt, in cultu corporis morem ciuium & popularium ſuorum ipſe quoq; imitetur, ſeque ad præſentium temporum cõſuetudinem traduci patiatur, etiamſi veſtes, quib. hodie vtimur, forte minus aut commodæ, aut corpori noſtro habiles ſint, quam vel reuera fuerunt antiquæ, vel tibi ſaltẽ videntur fuiſſe. Si item tota ciuitas tua comam tondeat, nolim te vnum cæſariem tuã oſtẽtare. Aut ſi ciues omnes barbati ſint, nolim te vnum conſpici imberbem. Hoc enim eſt ſingularem & aliis contrarium eſſe: cum tamẽ hominibus, in quotidiana morum conſuetudine; nõ niſi neceſſitate aliqua, de qua mox dicemus, vrgente debeamus aduerſari. Hoc enim etiam magis quam quæcunq; alia, cui aſſueuimus, vitioſitas, hominibus nos reddit inuiſos. Proinde nihil eſt, quod in his ſimilibuſque rebus, vnus te publicis omnium moribus opponas, immo potius cum quadã mediocritate illis te accommodabis: ne ſcilicet, tu ſolus inter ciues tuos ille ſis, qui tunica ad talos vſq; demiſſa vtatur, cum reliqui omnes eandem habeant longe breuiorem, & vix vltra zonam prominentem. Sicuti enim fit, vt, cum aliquis vultu eſt monſtroſo, & facie rugis obſita, id eſt, tali, quæ ab vſitata & naturali oris humani figura plurimum abhorreat, ſicuti inquam fit, vt ille omnium in ſe oculos cum quadam admiratione conuertat: ita et-

iam plane ſimile quippiam accidit iis, qui ſingulari & inuſitato aliis modo & forma veſtiuntur, ſeque non ad aliorum iudicia, ſed ſuum ſolummodo appetitum conformant. Horũ igitur alios videas incedere coma eleganter promiſſa, barba autẽ vel magna ex patre reſecta, vel etiã ad cutem abraſa: alios reticulo comam aſtringere, aut pileos quoſdam grandes more Heluetiorũ capiti imponere. Ita fit, vt quilibet admirabundus ad illos reſpiciat, aliqui etiam quaſi circulo facto circumſiſtant: tanquã eos ibi contemplentur, qui ſibi in pugna contra mores totius, vbi viuunt, gentis, victores extitiſſe videãtur. Veſtes etiam habiles & ad corpus aptæ ſint, & cum quodam decoro eidem accommodatæ. Qui enim veſtibus vtuntur pretioſis & ſplendidis, quæ tamen neque eleganter factæ, neque corpori ſuo conuenire videntur, ii alterutrum ex duobus indicãt: quod nimirum, aut quomodo placeant aut diſpliceant aliis, non ſint ſolliciti: aut certe, quid venuſtum & concinnum ſit, non intelligant. Atque ita moribus hiſce ſuis ſuſpicionem quoq; in animis eorum, quibus familiariter vtuntur, concitant, quod eos nõ magni faciant. Proinde ipſi quoque vt plurimum toti illi ſocietati parum accepti ſunt, multo minus ab eadem cum quadam beneuolentia diliguntur. Præter hos nonnulli alii ſunt, qui vlterius progrediuntur, neque ſolum ſiniſtre de ſe ſuſpicandi occaſionem aliis præbent, ſed re ipſa & factis quoque tales ſe gerunt, vt nullo plane

modo

modo cum iis conuerſari quis poſſit. Semper enim toti reliquæ ſocietati in mora ſunt, eique incommodare,& moleſti eſſe non deſinũt:quãdo nunquam ſe expediunt, nunquam ſatis ex ſententia prompti & parati ſunt. Imo cum omnes iam,vt menſæ accumbant, præſto ſunt cibiq; iam appoſiti,& lotæ ſunt manus, tum ipſi, quaſi aliquid ſcripturi, aut calamum cum atramentario, aut ad vrinam reddendam matulam poſcunt: aut ſe corpus nondum exercuiſſe conqueruntur,dicentes interim; *Satis adhuc ſupereſt temporis, poteſtis adhuc aliquantiſper expectare:quid ſibi vult hodierna diei inuſitata feſtinatio?* Atque ita reliquos omnes impediunt, tanquam ii, qui ſui ſolummodo, ſuæque commoditatis & voluptatis rationem habeant. Inſuper iidem illi in omnibus rebus aliis præferri potioreſque volunt haberi, ſe in lectulos molliſſimos collocare: cubicula optima occupare; primo eoque commodiſſimo loco accumbere: alios ſua ſolius cauſa ſollicitos eſſe, atque adeo ab omnibus coli & honorari. quibus nihil vnquam placet,niſi quod ipſi excogitarunt & fecerunt: cæteros naſo ſuſpendunt,ſibique imaginantur, in epulis,in exercitiis equeſtribus, in ludis, omnique animi relaxatione,ſui tantum ab aliis rationem haberi debere.Quidam alii vſq; adeo ſunt cerebroſi, tetrici & acerbi, vt nihil quod ſatis ipſis placeat,fieri à quoquam poſſit:& qui ſemper quicquid tandem illis dicatur, reſpondent vultu toruo: neque obiurgationum, conuitio-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rumque, quibus miniſtros ſuos adoriuntur, vnquam faciunt finem: atque ita continua quadam moleſtia, totam ſocietatem afficiunt, cum hæc & is ſimilia ſubinde iterant: *Vah quam tempeſtiue me hodie excitaſti? Vide quæſo quam belle mihi hunc calceum exterſiſti? Neque etiam hodie in templum me es comitatus. Belua. neſcio quid in mora ſit, quo minus hic pugnus in mala tibi hæreat.* Rationes hæ omnes inconuenientes ſunt, & odioſæ, & ſicuti mors ipſa fugiendæ. Etiamſi enim quis vere & ex animo modeſtus eſſet & humilis, moreſque iſtos, non tam malitia, quam incuria prauaq; aſſuefactione vſurparet, nihilominus tamen, quoniam in conuerſatione illa externa quædam ſuperbiæ præ ſe ferret indicia, odia aliorum nullo modo poſſet effugere. Siquidem ſuperbia nihil aliud eſt, quã alios nihilo æſtimare. Cum tamen, vt initio dixi, vnuſquiſq; licet nullius ſit, quantiuis tamen pretii eſſe, cenſeri velit. Fuit Romæ ante annos non ita multos vir præſtantiſſimus, acutiſſimoque ingenio, & doctrina plane ſingulari, Vbaldinus Bandinellus. Is dicere ſolebat, quotieſcunque ad palatium Pontificis accederet, aut ex eodem domum rediret, in maxima illa, pleniſque plateis ſibi obuia, non ſolum nobilium aulicorum, antiſtitum & magnatum, verum etiam hominum pauperum, mediocrium, & plane tenuium multitudine, neminem ſibi occurrere, qui vel pluris vel minoris, quam ipſe eſſet, ſibi in animo ſuo faciendus eſſe videretur. Et

VBALDINI Bandinelli Apophthegma.

certe

certe, ſi quis virtutis in homine illo excellentiã plane ſingularem perpendere voluiſſet, pauci profecto fuiſſent inuenti, qui vllam in partem cum ipſo dignitate potuiſſent comparari. Verũ enimuero in rebus eiuſmodi, omnino ſe homines non tali vlna metiri debent: ſed potius ad ſtateram molitoriam, quam trutinam monetariam ſe ponderare. Conueniens enim eſt in aliis ad ſe admittendis & accipiendis, nõ tam quantum reuera quis valeat perpendere, quã quemadmodum in monetis, quarum valor in cõſuetudine & vſu quotidiano eſt, quanti vulgo quis fiat conſiderare. Quare in præſentia & conſpectu eorum hominum, quibus placere cupimus, nihil tale faciendum eſt, quod potius dominii quam ſodalitatis indicium prę ſe ferat. Actiones præterea & geſtus noſtri omnes tales eſſe debent, vt aliquã reuerentiæ præclaræq; de iis apud quod ſumꝰ, exiſtimationis ſignificationem teſtentur. Qua de cauſa fit, vt tres nõnullæ quę ſuo tẽpore factæ, culpari nõ poſſẽt, ratione tamen loci & perſonarum præſentium magnopere reprehendantur, qualia ſunt, quorum iam antea quoq; facta eſt mentio, aculeatis & acerbis expoſtulationibus domeſticos obiurgare & quidem multo magis eoſdem verberibus caſtigare. Hoc enim eſt imperium & iuriſdictionem ſuam exercere, quod in præſentia eorum, quos honorifice aliquis obſeruat, fieri nequaquã ſolet. Taceo iam, quod ille ipſe totũ, cui intereſt, cœtum offendit, eorumque ſermones & collo-

Iracundia & excandeſcentia.

quia corrumpit: præſertim ſi tale quid faciat in menſa, loco nimirum non offenſionis, ſed hilaritatis. Dico igitur, minime decere, vt in menſa quis, quicquid tandem accidat, iraſcatur: vel ſi omnino arceri iracundia nõ poſſit, accurate tamen eam diſſimulandã, ne quod moleſtiæ, qua afficeris, indiciũ appareat, idq; ob cauſas iã antea enumeratas. Et hoc maxime tum cauẽdum tibi eſt, cum exteros forte ad cœnã adduxeris. Siquidem à te lætitiæ cauſa ſunt inuitati, & iam eos contriſtas. Sicuti enim acria, ab aliis mãducata, tuis etiam dentibus, ſi videas ſtuporem inducunt: ita alienarum moleſtiarum aſpectu, nos ipſi quoq; perturbamur.

Refractarii.

Refractarii ſunt ii, qui in re omnia aliorũ deſideriis, id quod vox ipſa indicat, volunt contraria. Refractarius enim cum repercutiente & reluctante plane eſt idem. Quam autem vtilis ſit huiuſmodi contumacia ad animos hominum conciliandos, eorumq; beneuolentiam comparandam, tu ipſe facile iudicaueris: quandoquidem illa in opponendo ſe alterius oblectamentis conſiſtit. Id quod non amici inter ſe, ſed inimici facere cõſueuerunt. Proinde qui amoris aliorum ſtudioſi ſunt, magna quadam contentione ſeipſos ad vitandum hoc vitium adigunt. Id enim neque voluptatem aut beneuolẽtiam, ſed odium potius & faſtidium parit. Imo conuenit ex alterius deſiderio, niſi damnum aliquod aut pudor obſtet, ſuam oblectationem comparare, & id quidem ſemper facere, & ſermonem quoque

ſuum

ſuum ad aliorum potius quam proprium affe-ctum accommodare. Neque decet, vt aut ruſtici erga alios ſimus, aut plane peregrini: ſed potius iucundi & quaſi domeſtici: nihil enim alias inter oleam & oleaſtrum, reliquaſq; eius generis plantas diſcriminis eſſet, niſi quædam ſatiuæ & domeſticæ, quædam ſylueſtres cenſerentur. Suauem autem & iucundum eum eſſe ſcito, cuius mores erga alios in quotidiano conuictu tales ſunt, qualibus inter ſe, qui amici ſunt, moribus vti conſueuerunt. Hic enim peregrinus qui eſt, is vbiq; locorum aduena ſeu extrarius eſſe videtur. Sicuti ex aduerſo indigenæ, vbicunque ſint, vniuſcuiuſq; noti & amici eſſe exiſtimãtur. Quapropter conueniens eſt, quemq; ſe aſſuefacere, vt alios ſuaui quodam modo ſalutare, cũ eis colloqui, ipſis reſpondere, & ſe vnicuique tãquam popularem & familiariter notum poſſit oſtendere. *Moroſitas.* In quo faciendo quam plurimi hallucinantur, qui nullum vnquam placide intuentur: qui libenter omnia, quę ab aliis aſſeuerãtur, negant: & quidquid ab aliis, vel beneuolentiæ gratia ipſis præſtetur, id ruſtice aduerſantur, more hominum extraneorum & barbarorum, qui ferre non poſſunt, vt ab aliis vel ſalutentur, vel deducãtur: qui nunquam ſalibus aut ſermonibus amicis ſe exhilarant: & omnia etiam officioſe ab aliis prolata reſpuunt. *Fabius mihi mandauit, vt ſuis tibi verbis ſalutem dicerem. Quid malum, mihi cum illius ſalutatione?* Item, *Publius nuper me interrogauit, quo-*

modo valeres: Veniat ergo & manu in carpum immiſſa, pulſum arteriæ mihi exploret. Huiuſmodi homines, & quidem merito ſuo, parum ab aliis diliguntur. Inconcinnum quoque eſt, eſſe melancholicum & cogitabundum, eoq; ex loco, vbi quis eſt, quaſi abreptum, & extra ſeipſum conſtitutum. Et quamuis hoc fieri forte poſſit in iis, qui multos iam annos in conſideratione & contemplatione artium liberalium toti fuerunt. in reliquis tamẽ ſine omni dubio probari hoc non debet. Immo illi ipſi prudẽter facerẽt, ſi eo tẽpore, quo meditationibus ſuis indulgere cogitant, ab aliorum conſuetudine penitus abſtinerent. Tenero quoque & delicato animo eſſe plurimum dedecet, maxime virum. cum eiuſmodi enim hominibus tali modo conuerſari, non ſocietas quædam æquabilis, ſed ſeruitus videtur eſſe. Inuenias profecto nonnullos, qui ita tenelli & fragiles ſunt, vt viuere & conuerſari cum illis, nihil aliud ſit, quam vitris etiã ſubtiliſſimis eſſe circumdarum, vſque adeo leuiſſimos quóſque ictus pertimeſcunt, vt vitrorũ inſtar, molli ſemper brachio illos tractare & obſeruare oporteat. Si enim non ſatis prompte ſolliciteq; illos ſalutes, inuiſas, reuerearis, & ad interrogata illorum reſpondeas, ita, aut etiam multo magis, ſe excruciant, quam alius faceret, iniuria longe grauiſſima affectus. Iidem vſque adeo titulis delectantur ſuis, vt niſi ad vnguem quis eos, ita vti volunt, compellet, acerbiſſime ad de re conquerantur, & è veſtigio inimicitias

Melancholia.

Temeritas.

animo

animo concipiant immortales. *Vocaſti me amicum, non dominum. Quare non dicis mihi veſtra excellentia? ego profecto vt ſcias, Dominus Ioannes vocor. Neque etiam eo quo decuit loco in menſa accubui. Heri quoque, non dignatus es domi me inuiſere, ſicuti ego te ſalutaui nudiuſtertius.* Nequaquam hoc pacto mecum, & cum mei ſimilibus oportet conuerſari. Hi certe eouſque alios adigunt, vt ne vnus quidem ſit, qui ſuo illos aſpectu dignos exiſtimet. Nimis enim, immo plane ſupra modum ſeipſos amant, & in eo occupati dum ſunt, parum admodum ad alios amandum temporis ipſis relinquitur. Expetunt autem, quod in principio quoque dictum eſt, homines, in moribus eorum, quibus cum familiariter eſt viuendum, omnem eam, quæ eſſe tali in conuerſatione poteſt, ſuauitatem & voluptatem. Cum hominibus autem vſque adeo faſtidioſis, & quorum amicitia ita facile, inſtar lini tenuiſſimi, rumpitur, commorari, non eſt familiariter cum illis viuere, ſed eorum eſſe mancipium. Ideoque non ſolū nemo eſt, qui hac illorum conſuetudine delectetur, verum etiam maiorem in modū omnes eam auerſantur. Hæc igitur morum teneritas & mollicies mulierculis relinquatur.

Sermo.

In ſermone quoque familiari multis & variis peccatur modis: in primis autē in ipſa ſermonis materia, quæ nec friuola eſſe debet, nec vilis. auditores enim talibus non attendunt, & propterea quoque nihil inde voluptatis percipiunt. imo recitatorem ipſum, cum ſuis fabel-

lis habent contemtui. Neque tamen nimis aut ſubtile aut exquiſitum colloquiorum argumẽtum eſt deligendum. Plerique enim cum moleſtia talibus auſcultant. Diligenter quoque eſt cauendum, vt colloquii materies talis ſit quæ nemini ex præſentibus, aut ruborem incutiat, aut in alicuius vergat ignominiam. De rebus quoq; ſpurcis & obſcœnis non eſt loquẽdum, quãtumuis id iucundum & delectabile eſſe videatur. Honeſtos enim homines non niſi rebus honeſtis placere aliis decet. Nihil etiã vllo modo contra Deum & ſanctos, ſiue ſerio, ſiue ioco id fiat, eſt dicendũ, quantumuis parui momenti, & cum oblectatione coniunctum aliis hoc eſſe exiſtimetur, qua ipſa in re ſępenumero peccauit nobile illud Ioannis Boccatii ſodalitium, in ſuis fabulis, ita vt illæ in acres quoq; omnium intelligentium reprehenſiones, & quidem ſuo merito inciderint. Scito igitur, quod per ludibrium de Deo loqui, nõ ſolum ſit defectus nebulonis ſcelerati & impii, verum etiam vitium hominis peſſimę inſtituti & morati. immo tale quid audirę acerbiſſimum eſt, multoſque inuenias qui iis ex locis, vbi de Deo, cõtra quem decet, ſermo eſt cupide diſcedant. Neq; ſolum de Deo loquendum eſt ſancte: ſed in omni quoq; colloquio, quantum fieri poteſt cauendum eſt, ne verba vitæ factorumque parum laudabilium ſint teſtimonia. Siquidem homines etiam propria ſua vitia in aliis oderunt. Eodem plane modo inconueniẽs eſt, loqui de rebus præſenti tem-

tempori & perſonis audientibus,contrariis: etiamſi eæ tales ſint, vt per ſe & ſuo loco dictæ,& bonæ & ſanctæ eſſent futuræ. Ceſſent igitur conciones de rebus ſacris in conceſſu iuuenum, qui hilaritatis & iocationis gratia conuenerunt, Diebus quoque publicæ lætitiæ deſtinatis, & in conuiuio, non recitentur hiſtoriæ melancholicæ: ibidemque vulnerum, morborum, mortis, ſuppliciorum, peſtilentiæ, aliarumq; rerum funeſtarum & triſtium nulla ſit mentio, nulla recordatio, aut ſi forte quis in huiuſmodi rerum commemorationem inciderit: is modo quodã dulci & commodo ab eo propoſito abducendus,& ſenſim in mentionem rerum magis lætarum & ei loco conuenientium,eſt traducendus. Etiamſi forte multo ſæpius lacrymis mortales, quam riſu indigeant. Quam ipſam ob cauſam fabulas illas luctuoſas, quas Tragœdias appellant,initio inuentas eſſe volunt, vt more illis tẽporibus vſitato, in theatris repræſentatæ, lacrymas iis,quibus id opus eſſet, elicerent, atque ita illi ex infirmitate ſua ſubinde deplorata conualeſcerent. Sed vt vt hoc ſit,non decet eorũ,quibus cum confabulamur, animos contriſtare, eo maxime in loco, vbi non luctus, ſed lætitiæ voluptatiſque gratia commorantur. Etiamſi forte aliquis cupiditate lacrymãdi ægrotus ibidem reperiatur, cuius equidem deſiderio facile quis medicaretur, vel ſinapis actimonia, vel etiã in locum fumoſum eundẽ collocando. Quamobrẽ nullo modo excuſari potuit Philoſtratus

ille apud Bocatium, de orationis ſuæ argumento rerum funeſtarum, & mentione mortis pleniſſimo, cum ea in ſocietate loqueretur, quę tantum cupida lætitiæ, nihil præter eandẽ deſiderabat. Rerum igitur triſtium & melancholicarum narrationem eo modo inſtituere, ita incōueniens eſt, vt multo ſit ſatius plane tacere. Errant quoque illi, modo nō diſſimili, quibus nihil vnquam aliud in ore eſt, quam ſui infantes, vxor, nutrix. Vah quantum heri veſperi riſum meus mihi filiolus excitauit! Audite quæſo, nũquam vidiſtis puerũ tam amabilẽ, quam meus eſt Scirtus. Item talis & talis eſt mea vxor: hæc & hæc mecum hodie eſt locuta. Incredibile eſt, quam illa ſit mulier ſapiens & intelligens. Nemo vſq; adeo eſt otioſus, qui ad talia reſpōdere, aut huiꝰmodi ineptiis poſſit vacare: nemo quoq; eſt, qui hæc audiendo moleſtia non afficiatur. Male quoq; faciũt ii, qui ſubinde ſua aliis *Somnia.* ſomnia cupide cōmemorant, tanto quidẽ cum affectu & admiratione, vt fere ſine animi deliquio illis auſcultare non poſſis. Præſertim cum recitatores illi tales plerunq; ſint, vt quis eorum etiam facta ſingularia, quæq; à maxime vigilantibus præſtita ſunt, audiendo, oleum & operam perdidiſſe ſit exiſtimãdus. Quapropter materia dicendi vſque adeo vili, vt plerumque ſunt ſomnia, aliis moleſti eſſe non debemus. Pleraque enim quæ vulgo hominibus offerũtur ſomnia, inepta ſunt & nugatoria. Et etiamſi ſępenumero relatum mihi ſit, priſcos illos viros ſapientes, pluri-

plurima in ſuis libris ſomnia, ſingulari cum prudentia & ſuauitate perſcripta, nobis reliquiſſe: non tamen propterea minus eruditos, aut etiã homines plebeios decet tale quid in ſuis quoq; ſermonibus vſurpare. Et certe inter omnia quæ in vita audiui ſomnia (quãuis pauciſſimis aures meas præbere ſoleam) nullum mihi vnquã dignius viſum eſt, quod vel audiretur, vel cuius nomine verba fierent: quã vnũ hoc, quod bono illi M. Flaminio Tomarotio nobili Romano per quieté eſt oblatũ qui ipſe tamen nequaquã illiteratus aut ſtupidus fuit, ſed homo doctrinæ ſingularis, & acuti ingenii. Is igitur dormiẽs videbatur ſibi ſedere in officina opulentiſſimi cuiuſdam plarmacopolæ vicini ſui. ibi cum paulo poſt, neſcio qua de cauſa, in populo excitatꝰ eſſet tumultꝰ, fiebat vt omnia direptioni in pharmacopolio illo exponerẽtur, cũ hic ecligmata, ille hypotrimmata, alius hoc, alius illud acciperet, & ſubito quã auidiſſime deglutiret: ita quidẽ, vt breuiſſimo tẽpore interiecto, ibidẽ neq; ampulla, neq; vrceus, neque pyxis, neq; vaſculum relinqueretur vllum, quod non eſſet vacuũ & exſiccatum. Vnum ſolummodo vitrum, & id quidem ſatis exiguum ibi erat ad ſummum vſq; repletum limpidiſſimo quodam liquore, quem plerique omnes negligebant, guſtare volebat nemo. His ita factis, continuo videbat eodem ingredi ſenem ſtatura corporis auguſta, quique ipſo aſpectu cuiuis admirationem, venerationemque ſui iniiceret. Is cum ſubtriſtis thecas &

Somnium Tomarotii.

capſulas pharmacopœi intuens, animaduerteret alias euacuatas, alias euerſas, earumque bonam partem fractam eſſe; forte etiam vitrum cuius antea facta eſt mentio, conſpicatus; ſubito id ori admotum, ita auide exhauſit, vt in eo ne guttula quidẽ relinqueretur. Quo facto, eodem quo reliqui modo diſcedebat. Eo igitur nomine, cum vehementi quadam admiratione affici videretur Flaminius, conuerſus ad pharmacopolã rogat, quinam is ſenex eſſet, & qua de cauſa aquã illam, ab omnibus aliis repudiatam; tãta cum voluptate ebibiſſet, cui reſpondere videbatur pharmacopola, his verbis: ô fili, ſenex ille, quem vidiſti, ipſe Deus eſt, aqua autẽ ab omnibus aliis, vt vidiſti, ſpreta, & ab hoc vno exhauſta, fuit diſcretio, quam homines, ſicuti forte reipſa expertus es, nullo modo, ne ſupremis quidẽ labris volunt contingere. Huius ergo generis ſomnia credo non incõmode recitari, & cũ voluptate & fructu audiri poſſe. Magis enim cogitationi animi vigilãtis, quam viſionibus dormientis, virtutique, vt ita dicam, ſenſitiuæ, ſunt ſimilia. Reliqua vero inepta quę ſunt, & nullius ſententiæ omnia, qualia pleraque, quæ à nobis noſtriq; ſimilibus videntur, eſſe conſueuerunt, (viri enim boni & eruditi etiam cum dormiũt, meliores ſapientioreſq; ſunt improbis & indoctis) obliuioni tradenda, & vna cum ſomno miſſa ſunt facienda.

Et etiamſi res nulla reperiri poſſe videatur, quæ ſomniis vanior ſit; tamen reuera vna quæ-

piam

piam plus etiam leuitatis habẽs, reliqua eſt; nimirum mendaciũ: Nã eius; quod quis in ſomno vidit, quædam veluti vmbra & ſenſus anteà fuit: mendacii verò neq; vmbra; neque imago vnquam extitit vlla: Quocircà aures & animi eorum qui auſcultant, multo minus mendacio quã ſomniis recenſendis, ſunt onerandi: Quãuis enim mendacia pro veris nonnunquam accipiantur, tamen temporis ſucceſſu, eorum autoribus non ſolum fides non habetur: verum audire quoque illos æquo animo nemo poteſt, vt pote quorum verbis nihil ſubſtantiæ, immo nec plus nec minus inſit; quam ſi omnino non loquerẽtur, ſed halitum tantum inanem efflarent. Scito etiam multos inueniri, qui mentiantur non malo animo, nec propriæ vtilitatis gratia neq; etiam vt aliis vel damno ſint, vel pudori: ſed tantum quia per ſe illis placet mendacia: Sicuti reperias, qui non ſitis cauſa; ſed guloſa quadam potandi cõſuetudine, ſubinde bibant: Alii vana gloria impulſi, de ſe ipſis mentiuntur, & cum quadã iactantia magnifice ſe efferunt, deque rerum magnarũ & mirabilium ſcientia, quaſi ſoli ſapiant, gloriantur. Quin etiam quis, quamuis taceat, reipſa tamẽ & opere mendacii reus agi poteſt. Id quod videre eſt in nonnullis, qui cum mediocri aut etiam vili conditione & loco nati ſint: tamẽ tantum in ſua cum aliis cõuerſatione ſolennitatis vſurpant, ità arrogãter incedunt; ità præ aliis magnifice & quaſi pro concione, aut tribunali verba faciant, cũ oſten-

Mendacia.

tatione loquuntur: vt ſine moleſtia acerbiſſima ſpectari non poſſint. Inuenias quoque nō paucos, qui etiam ſi diuitiis & poſſeſſionibus aliis potiores non ſint: tamen torquibus aureis collum circumquaque ita onerant: ita digitos annulis, pileos & veſtes bullis & gemmis omni ex parte exornant: vt ne magnati quidem generoſiſſimo eiuſmodi ſplendor conuenire videatur. Hæc ipſa conſuetudo, faſtus & inanis gloriæ, quæ ex ſuperbia vanitatis filia oritur, plena eſt ideoq; tanquā intolerabilis, & indecens accurate eſt fugienda. Sciendum quoq; eſt, quod in multis & iis maxime, quæ bene cōſtitutæ ſunt, Rebuſpubl. legibus cautū ſit, ne liceat opulētis nimio veſtiū ſplēdore pauperioribus ſe præponere, Iniuria enim ſe affici pauperes exiſtimant, ſi alii, licet ſpecie tātum, maiores, quā ipſi ſunt, haberi velle videantur. Sedulo igitur cauendū eſt vnicuique, ne in huiuſmodi ineptias temere prolabatur. Nemo etiam de ſua vel nobilitate, vel honoribus, vel diuitiis, multo minus de ſapientia, gloriari debet, aut induſtriam, & res geſtas vel proprias, vel etiam maiorū ſuorum, magnifice extollere, aut ad alterum quodque verbum progeniem ſuam, quod multi tamē facere ſolent, commemorare. Videtur enim is qui hoc facit, eo ipſo indicare, quod ſe hominibus præſentibus cupiat opponere, præſertim ſi illi non minus nobiles, honeſti, & ſtrenui, quā ipſe eſt, ſint, aut ſaltem ſibi eſſe videantur. Vel ſi illi loco ſint inferiores, quod eos quaſi vi ſubigere, iiſq; ſuam

Iactantia.

ſuam vilitatem; & miſerias ſtudeat exprobrare: id quod ſine vllo diſcrimine vnicuiq; diſplicet. Neque igitur quiſquam ſe extenuare, neq; ſupra modum debet extollere, ſed potius aliquid ſuæ dignitati & meritis ſubtrahere, quam, etiam in re minima, pluſculum ſibi verbis arrogare. Nam bonum quoque ſi nimium ſit, diſplicere conſueuit. Animaduertendum tamen eſt, eos, qui ſine modo verbis ſeipſos extenuāt, & honores, ſine controuerſia ſibi debitos, repudiant, eo ipſo maioris ſuperbiæ indicium de ſe præbere, quam alteros illos, qui etiam minus ſibi debita hac in parte vſurpant. Proinde dicere forte aliquis poſſet, Iottum illum, artis pictoriæ in vrbe Florētina inſtauratorem, tantis, quibus cohoneſtatur, commendationibus vix dignum eſſe, quod magiſtrum ſe appellari vetuerit: cum non ſolum magiſter, verum etiam ſine dubio, pro ratione temporum illorū, magiſter fuerit plane ſingularis. Verum ſiue vituperationem, ſiue laudem eo modo meritus ſit Iottus: tamen interim hoc certiſſimum eſt, quod is, qui ea, quæ omnes alii expetunt, auerſatur, eo ipſo ſignificet, ſe alios aut vituperare, aut certe non flocci facere. Gloriam autem & honorē, quæ tanto apud alios in precio ſunt, nihili facere, nihil aliud eſt, quam ſeipſum ſupra omnes alios honore & gloriatione extollere. Nemo enim qui ſanus eſt, res omnium conſenſu caras & precioſas contemnit: niſi ij ſolummodo, qui ſe optimarum, cariſſimarumque rerum diuitiis &

Extenuatio ſibi ipſius.

abundantia affluere arbitrantur. Quapropter neq; cum iactatione de bonis noſtris gloriari: neq; etiam contemptim de iis loqui debemus. Illud enim eſt aliis ſuos defectus exprobrare: hoc vero eorum virtutes habere ludibrio. Debet autem vnuſquiſque quantum quidem fieri poteſt, de ſeipſo tacere: aut ſi tempus ipſum, de nobis quid dicendi, neceſſitatẽ imponat, delectabilis admodum, de qua ſupra quoq; dictũ, conſuetudo eſt, ſubmiſſe & ſine ſuperbia veritatẽ dicere. Quocirca ij, qui aliis placere ſtudẽt, pro viribus ſuis, quem accuratiſſime abſtinere debent ab hoc vitio, quod multis in vſu eſt, qui de rebus propoſitis ita timide ſuam opinionem proferunt, vt ſine graui moleſtia audiri nõ poſſint: maxime, ſi illi alias homines ſint eruditi & intelligentes. *Domine, veſtra magnificentia ignoſcet mihi; ſi non ita appoſite ad cauſam præſentem potuero dicere.* Ego loquar hac de re, *more hominis, ſicuti reuera ſum, indocti & omnium rerum ignari: item, pro ingenio meo hebeti, dicam pingui Minerua: neque ſum neſcius, quod ludibrio veſtræ excellentiæ ſim futurus: verum tamen obedientiæ gratia libenter meam voluntatem illius imperiis accommodabo.* Et hæc ipſa dum loquuntur, eas præſenti negotio moras iniiciunt, vt interea, quæſtio etiam ſubtiliſſima, verbis multo paucioribus, & tempore quoq; breuiori potuerit definiri. nunquam enim cunctatores illi ad caput rei deueniunt. Odioſi quoq; & moleſti admõdũ homines ſunt, ſuoque, in conuerſatione cũ aliis, geſtu

& mo-

& moribus mentiuntur, qui infimi omnino & viles videri volunt: & cum omnium cõfeſſione primus aut certe honoratior illis locus debeatur: ſemper tamẽ infimũ occupãt, & labor plane incomparabilis eſt, vlterius eos vrgere. Subinde enim, inſtar equi pauidi aut refractarii, regrediuntur. Proinde honeſtæ alicui ſocietati multũ cum huiuſmodi hominibus & moleſti negotii eſt, ſi quãdo ad ianuam aliquam ventum ſit. illi enim nullo plane modo volũt præcedere. quin etiã iam in tranſuerſum, iam retro abeunt, manibuſq; ſimul & brachiis ſic pro ſe propugnãt, ſic ſe defendunt, vt ad tertium quemq; gradum prælium cum iis inire, omnemq; delectationẽ, & nonnunquam etiam negotium quod tractandum eſt, interrumpere ſit neceſſarium.

Et quoniam ceremoniæ, quas nominamus vocabulo, ſicuti audis, peregrino, vtpote qui proprium nõ habeamus (eo enim maiores noſtri indicant, ignotas ſibi illas fuiſſe, cum ne nomen quidem iis potuerint imponere) cum inquam ceremoniæ, meo quidẽ iudicio, propter vanitatem ſuam, non longe à mendaciis & ſomniis abſint: non inconcinne vtraque in hoc noſtro tractatu coniungere, & componere poterimus, poſtea quam hic de iis dicẽdi nobis offertur occaſio. Narrauit mihi aliquoties vir quidã bonus, ſolẽnitates illas, quas ſacerdotes ad aram, in diuinis officiis erga Deũ & res ſacras vſurpant, proprie ceremonias appellari. Quocirca, poſtquam homines primo cœpere ſibi

Ceremonia.

mutuo modis quibuſdam artificioſis, maiorem quam decebat reuerentiam exhibere: ſe patronos & dominos inter ſe appellare: & in ſignum venerationis ſe inclinare, incuruare, demittere: item caput aperire: titulis quibuſdam exquiſitis alter alterum compellare: oſculari manus, tanquam illas ſacerdotum more ſacris initiaſſent: fuit forte aliquis, qui cũ noua hæc & ſtulta conſuetudo nomen haberet nullum, eam per contemptum, vt credo, ceremoniam appellauit: ſicuti compotationes & concœnationes alicubi per ludibrium triumphos dixere. Hæc autem coſuetudo ſine dubio à nobis originem non habet, ſed extranea eſt & barbara, & ante paucos annos, neſcio vnde, in Italiam traducta. quæ miſerã iã reipſa, & factis proſtrata & imminuta, in verbis tantum inanibus, & ſuperfluis titulis incrementum & honorẽ ſuum habet collocatum. Sunt igitur ceremoniæ, ſi eorum, qui eas vſurpant, mentem intueamur, vana quædam ſignificatio honoris, & reuerentiæ erga eos quibus contingunt, quæ ſita eſt in ſimulatione & verbis verſaturque maxime circa titulos & formulas certas compellandi, aſſentatorie excogitatas. Dico autem, vanam hanc ſignificationem eſſe, quia eos quoque, quos ex animo nõ reueremur, ſtudio quodã, oculis & auribus eorum gratificandi, hoc modo honoramus. Imo ſunt nonnunquã, quos nec viſos, nec auditos volumus, quos tamen, ne ab aliorũ conſuetudine recedere videamur, vocamus, hũc quidẽ illuſtriſ-

ſimum

ſimum, illum excellentiſſimum virum: eodemque affectu nos deditiſſimos aliorum ſeruos profitemur, quibus tamen, ſi animum conſulamus, mallemus omnibus potius modis incommodare quam inſeruire. Eſſent igitur ceremoniæ non ſolum, vt dixi, mendacia, verum etiã à flagitiis & proditione nihil differrent. Sed quia verba iã dicta, & huiuſmodi tituli, vigorem ſuũ iam pridem perdiderunt: & propter vſum eorum quẽ ipſi introduximus, continuum, inſtar ferri, cuius acies hebetata eſt, vt plurimũ degenerarunt: non vſque adeo accurate & ſubtiliter in eorum ſignificationẽ eſt intendendum, ſicuti vim aliorum verborum conſiderare ſolemus: neque etiam tanta cum efficacia & vigore ſunt accipienda. Quodque hoc verum ſit, ex eo manifeſtum eſt, quod vnicuique noſtrum vſu venit quotidie. Nam ſi forte in quempiam antea nobis nõ viſum, incidamus, cum quo caſu ita ferente colloquendũ nobis ſit, non adhibita conſideratione, quali aut quanto honore reuera dignus ſit, plerunq; ne nimis parum dixiſſe videamur, pluſculum illi tribuimus, eũq; tantum, quia bene veſtitus eſt, nonnunquam nobilem aut Dominum vocamus, etiamſi aut ſutor aut tonſor eſſe poſtea deprehendatur. Et ſicuti olim certos quoſdam & peculiares titulos, aut Papæ Imperatoris priuilegio conceſſos, nonnulli habere ſolebant, qui ipſi tituli, ſine offenſione & iniuria priuilegiarii, ſilentio præteriri non poterant, neque etiam alteri, cui

tale priuilegium conceſſum non erat, ſiue ludibrio attribui: ita hodie quoque paullo liberalius & tituli illi, & aliæ honoris ſignificationes titulis nō diſſimiles, ſunt vſurpandæ. Conſuetudo enim, domina nimis potens, hac in parte valde liberalia, noſtræ ætatis hominibus, priuilegia conceſſit. Hæc igitur cōſuetudo, quæ extrinſecus ita bella & ſpecioſa videtur, reuera intrinſecus tota vana eſt, & in oſtentatione & forma ſine rebus, verbiſque ſine ſignificatione vlla conſiſtit. Neque tamen interim vel mihi, vel tibi licentia conceſſa eſt huiuſmodi morem abrogandi. Quin etiam, quando hoc non tam noſtrum, quam tēporis ipſius, in quo viuimus, peccatum eſt, ad eius obſeruationē, non tamen ſine aliquo diſcrimine, obligamur. Quamobrē conſiderandū eſt, quæ ceremoniæ vel vtilitatis, vel vanitatis, vel etiam officii cauſa vſurpentur.

Vtilitas. Omne autem mendacium quod propriæ vtilitatis cauſa dicitur, & fraudis, & ſceleris plenū, & proinde etiam inhoneſtum eſt, nunquam enim quiſquam honeſte eſt mentitus. Et in hoc delinquūt adulatores, qui amicorum ſpeciem induunt, noſtriſq; cupiditatibus, in quibuſcunque etiam rebus obſequuntur, non vt beneuolentiam ſibi noſtram concilient, ſed potius vt beneficia à nobis conſequantur: non vt nobis placeant, ſed potius vt decipiant. Et quamuis hoc vitium forte aliquibus vſu iucundū ſit: nihilominus tamen, quia per ſe deteſtandum & noxium eſt, homines elegantes nequaquā decet,

cet,

cet. Neque enim licitum eſt ſpecie oblectationis alteri nocere: & ſi quemadmodum dictum à nobis eſt, ceremoniæ nihil aliud ſunt quam mendacia & adulationes, fit, vt quotieſcunque lucri gratia eas adhibemus, non bonorum, ſed perfidorum, flagitioſorumque hominum officio fungamur. Quocirca talem ob cauſam nullæ ceremoniæ ſunt vſurpandæ. Reliquum eſt vt de iis quoq; dicamus, quæ vel ex debito fiunt, vel ex vanitate. Priores igitur illas, nimirũ quæ *Officium.* ex debito fiunt, nequaquam conuenit, quo minus fiant, negligere. Id enim qui facit, non ſolum diſplicet, verum etiam iniurius eſt aliis. Et ſæpe numero accidit, vt ad arma ventũ ſit, hanc vnam ob cauſam, quod alter ab altero in via, non eo quo debuerat modo, honore eſſet affectus. Maxima enim, vt dixi, vis eſt cõſuetudinis, eaque huiuſmodi in rebus plane pro lege vult haberi. Quamobrem, qui vnum aliquem non infimæ conditionis hominẽ compellat numero multitudinis, is nihil de ſuo ciuilitatis illi tribuit: imo ſi ſingulari ad eundem numero vteretur, aliquid illi debitum adimeret, eumque ignominia & iniuria afficeret, tali eum vocabulo, quo homines nihil & ruſtici nominari ſolent, appellando. Et etiamſi aliæ gẽtes & ætates hominum, his in rebus alias conſuetudines habuerint: tamen hæ apud nos hoc tempore in vſu ſunt, neque locus iam eſt diſputandi, vtra harum duarum conſuetudinum ſit melior. Sed conueniens eſt, vt non tam bonæ quam in præ-

ſentia vſitatæ cõſuetudini pareamus. Sicuti etiam legibus non optimis obedientiam præſtamus, eam ſolummodo ob cauſam, quod vel Reſpublica, vel alius, cuius ea poteſtas eſt, eas nondũ correxerit, aut mutarit. Quod ſi ita eſt, diligẽter colligere oportet, quibus geſtibus & verbis vſitatum hodie ſit, iis in locis, vbi commoramur, cuiuſcunq; cõditionis homines excipere, ſalutare, compellare, vt ea ipſi quoq; in noſtro cum iis cõuictu obſeruemus. Et quamuis forte conſuetudine ſuorum temporũ ſummus ille claſſis regiæ præfectus, Petrum Regem Aragonię in colloquio numero ſingulari compellet: tamen nos noſtris regibus ſuam vel Maieſtatem, vel ſerenitatem tã in ſermone, quam per literas tribuemus: Sicuti enim ille conſuetudinem ſuorũ temporum obſeruauit, ita nos quoq; noſtræ ætatis moribus immorigeri eſſe non debemus. Et quidem has ego debitas ceremonias appello. neq; enim à noſtra voluntate aut libero arbitrio originem ſuam habent, ſed à lege, hoc eſt, communi conſuetudine nobis imponuntur. In iis autem rebus, quæ nullo cũ ſcelere, ſed potius cum ſpecie quadam vrbanitatis ſunt coniunctæ, oportet & decet cõmũni conſuetudini obedire, eique nec diſputationẽ, nec litem mouere. Et etiamſi in ſignum reuerentiæ aliquid oſculari, proprie rebus ſacris conueniat: nihilominus tamen, ſi in tua regione vſitatum ſit, vt in digreſſu dicant: *Ego in ſignum obſeruantiæ qua te colo, manum oſculor: aut, ego*

totus

totus ſum tuus: aut, ego omnia mea obſequia ſine exceptione tibi defero licet iis arbitratu vtaris atq; etiam abutaris tuo: ſi, inquam, his & ſimilibus formulis vti moris ſit, tu quoque non minus quam alijs iis vteris. Imo in valedicendo, & ſcribendo, alios ſalutare, & à te dimittere debebis, non vt ratio, ſed vt conſuetudo poſtulat. neque vt quondam fieri ſolitum eſt, aut etiam fieri oportuit, ſed quomodo in præſentia fit. Nec eſt quod dicas, vnde aut qua de cauſa hic eſt dominus? aut, nunquid hic forte parochus meus eſt, vt oſculari ei debeam manus? Is enim qui aſſuetus eſt, vt ab aliis vocetur Dominus, & qui ipſe alios vocat Dominos, contemni ſe & ludibrio haberi ſentit, ſi eum proprio tantum nomine, aut alias minus honorifice compelles. Et ſicuti ſupra dictũ eſt, hæc ipſa dominii & ſeruitij, aliaque his ſimilia vocabula, amaritiẽ ſuam magna ex parte, iam pridem amiſerunt, & quia quotidie in omniũ ore verſantur, inſtar herbarũ aquę iniectarum, ita macerata ſunt & mollita, vt non tantopere auerſari ea debeamus. quemadmodum faciũt ruſtici quidam inſulſi, qui epiſtolas Cæſarib. & regibus mittendas, hoc modo cenſent inchoandas: *Si tu & liberi tui valent, bene eſt, ego quidem valeo.* ſuæque huius opinionis rationem afferunt, quod olim Latini in ſuis ad Rempubl. Rom. literis eodem exordio vſi ſint. Quibus ſi quis attendere, atq; eo modo regredi velit, is pedetentim ſeculũ illud priſcum, quo homines frugib. deſtituti, glãdibus veſceban-

tur,eſſet introducturus.In his tamen ipſis,quas debitas nominamus,ceremoniis , certæ quædã regulæ ſunt obſeruandæ,ne quis homo vel vanus,vel ſuperbus eſſe videatur. Et primo quidē regionis,in qua quis viuit,ratio eſt habenda:nō enim omnis conſuetudo cuilibet regioni bona & conueniens eſt. Et fortaſſe id ꝙ hac in parte Neapolitanis, quorum ciuitas viris inſigni nobilitate & dominis ſingulari auctoritate cōſpicuis abundat,in vſu eſt,idipſum Lucenſibus & Florentinis,qui magna ex parte mercatores aut nobilitate minus illuſtres sũt,& apud quos nec Dux, nec princeps, nec dynaſtes eſt vllus,nequaquam conueniret.Ita quidē, vt mores Neapolitanorum magnifici & pompoſi Florentiã translati,inſtar veſtiũ Gigantis pygmæo indutarum,ſuperflui & nimii ſint futuri. Sicuti etiã Florentinorum mores , cum nobilitatis Neapolitanæ moribus comparati, ſua forte natura miſeri & nimis exiles eſſent futuri.Et etiãſi magnates Veneti, ratione publicorum officiorũ, pene ſupra modũ mutuis ſe honoribus proſequantur: non tamē idcirco ciuibus Rhodiginis aut Aſulanis conueniet,vt iiſdem in mutua obſeruantia ſolennitatib. fruſtra vtantur. Quamuis,ſi recte memini,tota illa vicinia , in huiuſmodi nugas & ineptias nōnihil prolapſa ſit, vel propter ocium quo fruitur , vel quod ab vrbe Veneta,domina ſua,idipſum acceperit. Libēter enim vnuſquiſque veſtigiis domini ſui , etiam cauſa non cognita, inſiſtit. Præterea habenda

eſt

eſt quoque ratio temporis, ætatis & conditionis, cum illius apud quem vtimur his ceremoniis, tum etiam conditionis noſtræ. Et quidem apud homines, qui occupationibus diſtinētur, plane eas abrumpere, aut certe quantũ fieri poteſt, imminuere, & ſignificatione potius eas indicare, quam reipſa exprimere oportebit. Id ꝙ in aula Romana optimẽ præſtare ſciunt. Verũ in aliis quibuſdam locis, hæ ipſæ ceremoniæ ſeriis negotiis magno impedimento ſunt, præterquam quod tædio quoque moleſtiſſimo non carent. *Tege caput*, dicet forte iudex aliquis; cui propter negotiorum multitudinem parum aut nihil eſt vacui temporis. Alter vero poſtquam certis quibuſdam geſtibus, & magno pedum ſtrepitu, ſuam illi reuerentiam declarauit; tandem ex aliquo, ſatis longo, interuallo, reſpondebit: *Mi domine, bene habet, mihi tecto capite non eſt opus.* Cui nihilominus dicet iudex, *Tege quæſo caput.* At ille bis aut ter, iam in hoc, iam in illud latus ſe contorquens, & magna cũ grauitate in terram vſque ſe demittens, demum dicet: *Peto à tua dominatione, vt quod officii ratione debeo, id facere mihi liceat.* Et quidem tam diu durat hæc concertatio, tantumque in eam temporis inſumitur, vt iudex breuiori quoque ſpacio omnibus negotiis eo ſe mane potuerit expedire. Quocirca etiamſi vnuſquiſque inferioris ordinis, ſuo iudici aut magiſtratui honorem debeat exhibere: tamẽ cum tempus id non patitur, ille ipſe honor immodicus, maximo cum

odio eſt coniunctus,& propterea plane eũ aut fugere,aut certe modũ illi adhibere oportebit. Sed neque iuuenibus eædem inter ſe,quæ natu maioribus ceremoniæ conueniunt: neq; etiam plebeios , aut mediocris conditionis homines decet,eaſdẽ ceremonias,quib. magnates vti inter ſe ſolent,vſurpare.Sicuti etiã magnæ virtutis & excellẽtiæ viri huiuſmodi ceremonias nec crebro adhibere ſolent,nec iis adhibitis delectari,aut eaſdem ab aliis præter modum exigere,vtpote ita affecti, vt non facile cogitationes ſuas rebus inanib. poſſint intendere. Opifices quoque & infimæ ſortis homines operam dare nõ debent,vt erga ſuperiores & dynaſtas multis & nimis ſolennibus ceremoniis vtantur. eas enim illi vt plurimum auerſantur. Potius enim obedientiam , quam honorem ab hoc hominum genere requirere,& expectare ſibi videntur. Proinde is quoque ſeruus errat ; qui domino ſua officia & ſtudia defert. Dominus enim contemni ſe,ſuumq; dominiũ & poteſtatẽ quaſi in dubium à ſeruo vocari arbitratur, quaſi vero ipſi aliquid miniſtro ſuo vel mandare , vel iniungere non liceat. Hoc igitur ceremoniarum genus liberaliter vſurpari debet. Quod enim quis ex debito alteri præſtat , id ſolutionis loco ab eodem accipi ſolet,neq; multa illi , qui id facit , gratia habetur. ſed qui pluſculum quam tenebatur,hac in parte facit , is amabilis & magnificus eſſe cenſetur. Videor mihi aliquando audiuiſſe de celebri quodam & eximio

poëta,

poeta, qui dicere ſit ſolitus, eum qui humaniter homines complecti, amanterq; cum iis cõuerſari poſſet, exigua ſorte magnum ſibi lucrum comparare. Circa ceremonias igitur eodẽ modo verſaberis, quo ſartor circa pannos, quos ita forfice ſua diſcindit & cõcinnat, vt veſtes laxiores potius quam corpori nimis aſtrictas inde conficiat: neq; tamen ita, vt caligæ in ſaccos, aut pallia conuertantur. Et ſi hac in parte, decora quadam liberalitate, maxime erga eos, qui conditione te inferiores ſunt, nonnunquam vtaris, homo vrbanus & elegans vocabere: ſi etiam ſimile quippiam apud ſuperiores vſurpes, ita vt hominẽ ingenuum decet, moratus eſſe diceris. ſed ſi quis in hoc nimius & quaſi prodigus eſſet, illum omnes tanquam vanum & leuẽ incuſarent, imo forte aliquid grauius eidem poſſet contingere, nimirum vt ſimul pro nebulone, nugatore, aut etiam adulatore haberetur. quo quidem vitio nullum eſt deteſtabilius, nullum quod hominem liberalẽ & nobilem magis deformet. Et quidem hoc tertium genus eſt ceremoniarum, quæ omnino à noſtra voluntate, & non à conſuetudine proueniunt. Hic igitur in mentem nobis reuocemus, quod initio dictum eſt, nimirum ceremonias ſua natura initio non fuiſſe neceſſarias: imo omnia melius ſine iis fieri & expediri potuiſſe. id quod ante annos non ita multos apud nos in vniuerſum fiebat. Verũ aliorum morbi nos quoque vt multis aliis, ita hac quoq; inualetudine infecerunt. Quapro-

Vanitas.

p̄ter poſtquã hac in parte vſitatæ iam conſuetudini morem geſſimus, omne id quod reliquum eſt, quidpiam ſuperfluum; & quoddã quaſi iam licitum mendaciũ eſt: etiamſi olim nequaquam id fuerit permiſſum, ſed vetitum, & proinde etiam animis nobilibus; qui huiuſmodi ineptiis & nugis ſpecioſis minime delectantur; res hæc moleſta admodum ſit & tædioſa. Et ſcito, quod ego in meo hoc tractatu contexendo; exiguæ meæ ſcientiæ diffidẽs, aliorum quoq; præſtantium & me eruditiorum iudicia inquiſiuerim, è quibus deprehendo, regem quendam Oedipũ, è regione ſua eiectũ, Athenas aliquando, ad regem Theſeum vitæ ſuæ, cui inimici inſidiabantur; conſeruandæ gratia veniſſe. Cum autem in conſpectu Theſei iam verſaretur; audiuiſſe eum loqui (nam cœcus erat) filiolam ſuam, cuius vocem agnoſcebat, atq; ideo rationem non habuiſſe, vt primo regẽ Theſeum ſalutaret, ſed amore paterno cõpulſum, ad filiolæ amplexum primo ſe conuertiſſe. Eo autẽ errore poſtea animaduerſo; OEdipum ſe Theſeo hoc nomine excuſare, & veniam petere voluiſſe. Bonũ vero illum & ſapientem regem, illius ſermonem interrupiſſe; atque his eum verbis compellaſſe: Bono ſis animo mi OEdipe: ego enim vitam meam non tam verbis aliorum; quam propriis meis factis ſtudeo illuſtrare. quæ quidem ſententia etiamnum animo teneri debet. Et etjamſi valde placeat hominibus, ſi ab aliis honore afficiantur, tamen ſi animaduertant ſe

Oedibus apud Theſeum.

ſingu-

ſingulari quodã & artificioſo modo honorari, non ſolum acerbe id ferunt, verum etiam ſe inſuper deſpectui illis eſſe cognoſcunt. Illecebræ enim illę, ſiue potius adulationes, pręter alia ſua ſcelera & vitioſitates, etiam hunc defectum habent, quod palpatores illi aperto quodam indicio declarent, quod is, cui ipſi ſuis illis blãditiis inſidiantur, vſq; adeo vanus & arrogans ſit, & præterea vſq; adeo ſtupidus, hebes & ſimplex, vt ipſum ineſcare & capere non ſit difficile. Ceremoniæ quoque vanæ, exquiſitæ & ſuperfluæ adulationem ſuam occultare non poſſunt. ſunt enim illæ ita manifeſtæ, & ab vnoquoq; cognitæ, vt ii, qui lucri ſui gratia illas adhibent, præter ea, quæ ſupra de eorum flagitiis dicta ſunt, inſuper etiam aliis moleſti ſint & exoſi. Verum enimuero eſt quoddam aliud genus hominum, ceremoniis huiuſmodi deditorũ, qui ex iis peculiarem quandam artem & mercaturam faciunt: ſuamque illam ſapientiam quaſi libris & rationibus certis habent comprehenſam. Cuidam enim hominum generi familiariter annuent; alteri arridebunt: eum qui nobilior eſt, in ſellam collocabũt, minus nobilem in ſcabellũ: quas ipſas ceremonias ex Hiſpania in Italiam translatas eſſe exiſtimo. Sed à noſtra terra male acceptæ, parce admodum prouenerunt. Siquidẽ accurata hæc nobilitatis diſtinctio apud nos moleſta eſt, quapropter nemo ſe iudicem conſtituere debet, qui decîdat, vter altero ſit nobilior. Neque etiam more meretricio venales eſſe

debent ceremoniæ,aliæque amoris & beneuolētiæ ſignificationes. quod ego multos magnates in aulis ſuis facere conſpexi,qui de induſtria, & quidem ſtipendiorum loco, certis quibuſdã ceremoniis miniſtros, & familiares ſuos infelices demulcebant. Et profecto illi,qui ſupra quã decet, ceremoniarum vſu delectantur,idipſum ex quadam leuitate & vanitate faciunt, tanquã homines nullius precii. Et quoniam huiuſmodi ineptias, quæ tamen aliquo modo in oculos incurrunt, & bellæ videntur, non vſque adeo difficile eſt addiſcere; illi ipſi magno quodã ſtudio eis incumbunt. Res autem grauiores, vtpote tãto oneri impares, diſcere nequaquam poſſunt: atque ideo optarent hominũ inter ſe conuerſationẽ vniuerſam in his nugis cõſumi: tanquã ij, qui nihil poſſunt amplius,quiq; ſub cortice aliquantulum ſpecioſo nihil habẽt ſucci, & ſi attingas, ſtatim rugoſi quodãmodo & mucidi deprehenduntur: eamq; ob cauſam,illis peroptabile eſſet, hominum inter ſe commercia & actiones,vltra ſpecioſa hæc principia ſe non extendere, atq; horum quidem maximũ inuenies numerum. Alij vero in verbis & geſtibus artificioſis ideo tam multi ſunt, vt eo modo prauæ, agreſtis, anguſtæq; ſuæ naturæ defectus ſuppleant: cum recordentur, ſi, vt reipſa ſunt, ita verbis quoque ſint reſtricti & feri, ſe aliis hominibus fore omnino intolerabiles. Hoc quidẽ tibi vere affirmo, tuque idipſum ita ſe habere experieris, quod non ob aliud, ſed ferme ob alterutram

harum

harum cauſarum ſuperfluę iſtæ ceremoniæ tam immodice vſurpentur: quæ tamen ipſæ vt plurimum pleriſque hominibus ſunt moleſtę. impediunt enim, quo minus ſuo quis modo & arbitrio viuere, id eſt libertate, quam quilibet præ omnibus aliis rebus appetit, frui poſſit.

Moderatio linguæ.

De aliis, aliorumque rebus & negotiis nō eſt male loquendū, etiamſi tum nobis aures, & libentiſſimæ & attentiſſimæ præberi videantur, idq; propter inuidiam, quam vt plurimū alter in alterius bona, & honores concipere conſueuit. Tandem tamen vnuſquiſq; à boue fœnum in cornu habente ſibi cauet. Auerſantur enim homines amicitiam maledicorum, exiſtimātes eos, id quod de aliis apud nos loquūtur, id ipſū de nobis dicere apud alios. Quidam etiam, qui ſingulis aliorum verbis ſe opponunt, deque iis diſputant & altercantur, eo ipſo indicant, ſe naturam hominum non ſatis cognitam habere. Amat enim quilibet victoriam, & ſe tam in ſermone, quā in negotiis vinci ægerrime patitur: præterquam quod libenter aliis reclamare, non amicitiæ, ſed inimicitiæ opus eſt. Quocirca is qui in ſua cum aliis conuerſatione amabilis & iucundus eſſe expetit, non ita promptas in ore habebit has voces: *Non eſt verum: Nihilominus ita ſe res habet vt dico*: & alias his non diſſimiles. neque etiam facile pignore deſpoſito certabit: imo potius plurimum in hoc ſtudii conferet, vt aliorum opinioni, præſertim in rebus non magni momenti facile accedat. Damnoſa enim eſt

in hoc genere victoria. ſiquidẽ victor ille quæſtionis alicuius friuolæ, ſæpenumero interim iacturam facit coniunctiſſimi amici, ſimulque aliis ita efficitur exoſus, vt conſuetudine eius vti non audeant, ne ſingulis horis confligere cum eo cogantur. Interim agnominibus non ſatis honorificis paſſim eum inſectantur, cum alius eum cerebroſum, alius pertinacem, alius omniſcium, alius doctorem ſubtilẽ nominat. Quod ſi tamen quis nonnunquam à præſenti ſodalitio ad diſputãdum inuitetur, is idipſum faciet ſuaui quodammodo: neque ita dulcedinis victoriȩ auidus erit, vt eam cum quadã ingluuie, lurconis inſtar, cupiat deglutire, ſed vnumquemque in ſua opinione relinquere cõueniet, & vtri iuſtam vel iniuſtam ſententiã defenderint, id vel ex ſuffragiis partis maioris, vel etiam magis importunæ definiri, eidemque victoria vltro concedi debebit. Vt videlicet non tu, ſed alius is ſit, qui prælietur, ſe defatiget, & ſudore præter modum totus diffluat: qui quidem mores hominibus honeſte educatis minime conueniunt, adeo quidem, vt odium & meleuolentiam aliorum ſibi concitent. Quid quod idem, propter deformitatis ſuæ dedecus, quod per ſe animis bene cõpoſitis graue, & moleſtum eſt, plurimũ ſoleant, diſplicere? qua de re paulo poſt forte mentionem faciemus. Interim tamẽ bona pars hominum ita mirifice in hac victoria ſibi placet, vt, quomodo aliis placeant, vel diſpliceant plane non cogitent. Et vt ſe ſubtiles, intelligen-

tes,

tes,& ſapientes eſſe demonſtrēt:iam ſuum aliis dant conſilium,iam eoſdem reprehēdunt, iam cum iiſdem diſputant,eorumque ſententiā ita magno conatu oppugnant, vt à verbis fere ad verbera deueniatur,cum nulla vnquā niſi propria ſententia illis probetur. Suum vero aliis conſilium non requiſitum communicare, nihil aliud eſt,quam dicere,ſe longe ſapientiorē eſſe eo cui conſulitur,eidemq; ſuam imprudentiam & ignorantiam exprobrare. Quamobrē id non apud quoslibet nobis notos, ſed tantum apud neceſſarios,& interiori quadā familiaritate cōiunctos fieri debet.Item apud eos,quibus præſumus,quorumque inſpectio & cura nobis eſt commiſſa:vel certe etiā apud extrarium, ſi forte magnum illi periculū impēdeat.Sed in quotidiana cum aliis conuerſatione cauendum eſt, ne noſtra aliis conſilia immodice obtrudamus: aut nos de ipſorū neceſſitatibus curioſe ſollicitos eſſe oſtendamus.In quem quidem errorem incidunt multi,& vt plurimū minus intelligentes.Rudes enim & inſulſi qui ſunt, raro admodum in rebus quas agunt,mentem ab oculis & aliis ſenſibus ſeuocant, aut iuſtū ſuis cogitationibus tempus impendunt: vtpote eius generis homines,quibus nō multa accuratius diſquirēda,aut examinanda incumbāt.Verum quomodocunq; ſe iſta habeant,certe, qui paſſim conſilia ſua depromit,eaque quaſi diſſeminat, is eo ipſo non obſcure hanc opinionem præ ſe fert, prudētia alios deſtitui,ſe vero abūdare.Et certe

repetias nonnullos,qui in hac ſua ſapientia ita mirifice ſibi placent,vt ipſorum cohortationibus nolle obtemperare,nihil aliud ſit, quã prælium cum iis inire velle. Dicunt enim , *Bene eſt, tenuiorum conſilia apud opulentos locum non habent.* Item,*ille eſt homo ſui conſilii.*Item,*ille mihi dicto audiens eſſe recuſat.* Quaſi vero non maioris arrogantiæ ſit,velle vt alii tuis conſiliis vtantur, quã ſi alius certis de cauſis ſuum conſilium tuo anteponat. Peccatum etiam huic non diſſimile committunt ij,qui aliorum defectus corrigere, aut etiam reprehendere conantur : quinque controuerſias omnes ſua ſententia finire volunt,& vnicuique leges præſcribere.*Hoc fieri non oportet:*item,*tu tali iam verbo vſus es deinceps,ſi ſapis, ab huiuſmodi dictis & factis abſtine.*Item,*vinum quod bibis, tibi non eſt ſalubre , potius rubro vino vtereris.* Item, *hoc ecligmate & illis trochiſcis tibi in hoc morbo eſt vtendum.* Atque ita reprehenſioni & correctioni ſuæ nullum ſtatuunt modum. Prætereamus iam eos,qui aliquando alienis ex agris lolium euellere vehementer elaborãt, cum agros interim proprios ſentibus & vrticis totos occupari facile ſinant:quos quidem audire , cum magno faſtidio & moleſtia eſt coniunctum. Et ſicuti pauci aut nulli repetiuntur,qui ab animo ſuo impetrare hoc poſſint,vt Indiuina quadam vitæ conſuetudine , vel cum medico, vel cum ſacerdote , multo minus cum iudice rerum capitalium coniungi velint , ita etiam nemo eſt , qui cum iſtis familiariter audeat con-

uerſari,

uerſari. Amat enim quilibet libertatem, qua iſti perpetuum quaſi magiſteriū exercentes , alios ſpoliant. Quamobrem conſuetudo parum grata eſt, ita promptum & cupidū eſſe alios corrigendi, & quaſi pro imperio aliquid illis pręſcribendi : eaque rectius ludi magiſtris & parentibus relinquitur, apud quos tamen quam inuiti hac ipſa de cauſa & filii , & diſcipuli commorentur, ignotum tibi eſſe non poteſt.

Rideri etiā, aut ludibrio haberi omnino nemo debet, etiāſi tibi ſit inimiciſſimus. Maioris enim contemptus indicium videtur eſſe illud, quod fit deſiderando, quā quod fit inferēdo iniuriam. Fiunt enim iniuriæ vel ex ira , vel ex alia quapiam cupiditate. Et nemo eſt , qui vel iram animo concipiat contra eum , aut propter id, quod ipſe nihil facit: aut qui illud quod in vniuerſum aſpernatur, appetat. Atq; ita quem iniuria afficiunt, eum precii nō plane nullius cenſent: ludibrio autem habitum, aut flocci, aut ne flocci quidē faciunt. Cum enim aliquem ludibrio, ruboris & ignominiæ illius cauſa , afficimus, non tam noſtrū aliquod cōmodū & vtilitatē, quam voluptatem & oblectamentum ſpectamus. Quam ipſam ob cauſam in vita cōmuni ab omni ludibrio ignominioſo plane eſt abſtinendū id quod parum accurate faciunt ii, qui aliis ſua, quibus laborant, vitia exprobrant, aut verbis aut geſtu , & reipſa. quemadmodū multi faciūt, qui aut blæſos, aut loripedes, aut gibboſos, vel lingua, vel ridicula ſui corporis confor- *Ludibriū.*

matione imitantur. item, qui alterum quod vel deformis, vel diſtortus, vel inconſpicuus, & puſillus eſt derident, vel de alterius parũ appoſite dictis cum riſu & exultatione ſibi gratulantur: aut libẽter alios rubore ſuffundunt. quæ quidẽ conſuetudines admodũ moleſtæ cum ſint, merito ſuo ſunt exoſæ. Illis autem non valde diſſimiles ſunt irriſores iſti, quibus volupe eſt, quoſlibet alios exagitare & deridere, non tam ignominiæ & cõtemptus, quam propriæ voluptatis gratia. Et ſcito, quod nulla differẽtia foret, inter ludibriũ & ludum, niſi propoſitum & ſcopus vtriuſq; eſſet diuerſus. Qui enim ludit alterum is idipſum recreationis gratia facit: qui vero eũ ludibrio habet, facit id ex deſpiciẽtia. quamuis hæc duo vocabula in ſermonibus & ſcriptionibus quotidianis fere confundantur. Sed tamen qui alterum ludibrio habet, ex eius ignominia ſibi ipſi voluptatem quærit; qui vero eundẽ ludit, ex eius errore nõ tam voluptatem percipit quam recreationẽ. Hic enim ipſe, etiam ex eiuſdem hominis ludibrio ignominioſo magnum forte cruciatum & dolorẽ ſuſtineret. Ego cum in pueritia mea aliquouſq; in præceptis grammaticis progreſſus eſſem, recordor me didiciſſe quod Mitio, licet incredibili quodã & ſibi ipſi mirando amore Æſchinum complecteretur, tamen nihilominus eum nonnunquam ludendo ſeipſum oblectarit, vt cum hoc modo ſecum ille loquitur:

Cur non ludo aliquantiſper?

Ex

Ex quo apparet,rem vnam eandemque, & apud vnum eundemque hominem factam, ſecundum mentem & propoſitum facientis, iam ludum,iam ludibrium cenſeri poſſe. Quia autem voluntas noſtra aliis aperta eſſe nõ poteſt, res parum vtilis eſt,in quotidiano cum aliis cõmercio artem tam dubiam & ſuſpectã exercere.Imo multo magis auerſandum, quam expetendum eſt nomen irriſoris. Sæpe enim numero hic quoque,quod in ludo, iocoque fieri ſolet,contigit, vt alter iocoſe alterum percutiat; quas tamẽ plagas ille accipit loco contumeliæ, atque ita à iocis ad pugnas deueniatur. Eodem modo is,quem alter recreationis & familiaritatis cauſa luſit, nonnunquam id pro ignominia & probro habet,& indignatur. Mitto iã quod ludus iſte quædam eſt deceptio. Vnicuique autem à natura hoc inſitũ eſt,vt doleat, ſicubi errauerit,aut deceptus ſit. Quocirca multis de cauſis videri alicubi poſſit,eũ qui beneuolentiã & amorem aliorum cupide deſiderat, titulum magiſterii in aliis ludendis & exagitandis valde expetere non debere. Verum quidem eſt, non poſſe nos vllo modo vitam hanc mortalem & ærumnoſam abſque recreatione & quiete traducere:& quia ludi & ioci hilaritati & riſui, & quæ conſequitur,recreationi cauſam præbent, amamus fere eos,qui hac in parte ſunt cauillatores faceti & iucundi.Atque ideo contrarium videtur eſſe verum,nimirũ hoc, quod in communibus hominum congreſſibus, iocis non-

Ioci.

nunquã & dicteriis ludere omnino conueniat. Equidem ſine dubio, ii qui modo quodã dulci & amabili alios ludere norunt, præ aliis, qui id facere nequeunt, ſunt amabiles. Sed hic rerum ſane complurium ratio eſt habenda. Et quoniã iocanti propoſitum eſt, etiam ex eius, quem in pretio habet, errore hilaritatem captare: opus eſt, vt error, in quẽ alterum vult coniicere, talis ſit, vt neque inſignis aliqua ignominia, neque graue aliquod damnum ſit coniunctum. Alias enim iocationes ab iniuriis difficulter poſſent diſcerni. Præterea ſunt nonnulli, cum quibus propter naturæ ſuæ duritiem intractabilẽ nullo modo eſt iocandum. Similiter in rebus grauibus iocari non debemus, multo minus in flagitioſis. Videtur enim is, qui tale quid facit, improbitatem, ludum, iocumque eſſe exiſtimare. Quocirca non credo, quod Lupus ille Vberti imminuerit facti ſui turpis ignominiam. imo quod eam ioculari quadam improbitate excuſando, ſuamq; ignauiã præ ſe ferendo, effecerit multo grauiorem. Is enim, licet caſtellum Laterinum poſſet defendere: tamen cum videret, ſe ab hoſtib. aggere facto circũuallari, ſubito caſtellũ illis tradidit, dicens, naturam lupi non ferre, vt in clauſis, ſeptiſque locis maneat. Vbi enim riſui locus non eſt, ibidem iocari quoq; & nugari minime decet. Præterea quoque ſciendum tibi eſt, quod quidem ioci ſint mordentes, quidã non mordẽtes. De illis ſufficere tibi volo ſapientis cuiuſdam præceptum, qui dicebat, io-

cos

cos inſtar ouium, non inſtar canum auditores mordere debere. Si enim morſus inſit caninus, iocum iam non amplius iocũ eſſe, ſed potius iniuriam. Leges etiam in omnibus ferme ciuitatibus volunt, vt is, qui dicto aliquo grauiter iniurioſo alterum inceſſit, grauiter quoq; puniatur. Et forte nõ fuiſſet inconueniẽs, ſimili modo nõ leuem caſtigationem in eos cõſtituere, qui ſpecie iocorum, vltra quam decet, alios mordent. Hominis autẽ bene morati eſt, ratiocinatione ſua colligere, quod lex quæ de iniuriis ſancit, etiam ad iocos iſtos aculeatos ſe extendat, atque ideo raro, & quam fieri poteſt leniſſime, dentatis huiuſmodi dictis vtetur. Supra hæc omnia ſciendũ eſt, iocos ſiue mordendi vim habeant ſiue eadẽ deſtituantur, niſi ſubtiles ſint & faceti, auditores non modo non oblectare, ſed iiſdẽ afferre tædium. aut ſi omnino rideant, fieri id, non propter iocum, ſed propter iocantem. Et quia nihil aliud ſunt ioci, quam ingenioſa quædam fallacia: fallacia autem res ſubtilis eſt & artificioſa: exerceri ea commode non poteſt, niſi ab homine acuta & prompta ſagacitate, & ea quidem quæ ex improuiſo ſe exerat, præſtante. Ideoque non conueniunt hominibus plebeiis, ſtupidis, & tardis: imo forte non vnicuique eorum, qui bono ingenio abundẽt. Ioci enim potius in peculiari quadam promptitudine, venuſtate, & celeribus animi motibus conſiſtunt. Qua de cauſa viri prudẽtes hac in parte, non tã quid velint, quam quid poſſint conſiderant: &

poſtquam ſemel atque iterum viribus ingenij ſui adhibitis, huius rei periculum fecerunt fruſtra: intelligentes ſe parum ad id aptos eſſe, deſiſtunt, & nolũt in hoc exercitio plus laboris inſumere, ne idem forte illis, quod aſino illi Æſopico vſu venit, contingat. Quod ſi ipſe mores aliorum accurate examines, facile deprehendes, id quod dico verum eſſe: nimirum iocationes nõ decere eum qui velit, ſed eum ſolũmodo, qui poſſit. Videas autem quoſdam ad vnum quodq; verbum, aliud quoddam, & ſæpe etiam quod nullius ſignificationis eſt, vocabulum in promptu habere: alios ſyllabas vocabulorum friuolo & fatuo quodam modo permutare: alios dicere aut reſpondere aliter quam expectabatur, & id quidem ſine aliqua ſubtilitate, aut venuſtate gratioſa. *Vbi eſt dominus? in ſuis veſtibus niſi forte lauet. Quomodo ſapit vinum? quaſi eſſet humidum. Quomodo editur hoc alimentum? ore.* Quo etiam pertinere videtur illud prologi Plautini:

Hos quos videtis ſtare hic captiuos duos,
Illi qui ſtant, ij ſtant hoc ambo, non ſedent.

Qui modi iocandi omnes, quod intellectu tibi facile eſt, viles ſunt & plebeii. Verũ diſputare qui ioci maxime venuſti & lepidi ſunt, qui minus, nõ eſt in præſentia noſtri inſtituti. hoc n. ab aliis doctoribus & artificibus multo me melioribus copioſe eſt explicatum. Et inſuper cum ipſi ioci è veſtigio ſatis magnum & certum ſuæ venuſtatis & gratiæ habeant teſtimonium: parum

rum

rum admodũ hoc in genere poteris errare, niſi forte ſupra modum amore tui ipſius ſis excæcatus. Siquidem vbicunque iocus eſt facetus & elegans, ibidem ſubito hilaritas eſt, & riſus non vulgari cum admiratione coniunctus. Quare ſi tuæ argutiæ riſu aſſidentiũ non fuerint approbatæ, deinceps argutari deſine. penes te enim huius rei, non penes auditorem eſt defectus. Siquidem auditores prompto, venuſto, & ſubtili reſponſo vel dicto quaſi ſollicitati, etiam cum volunt, riſum continere non poſſunt, ſed rident etiam inuiti. à quibus tanquam veris legitimiſq; iudicibus nemo appellare debet ad ſeipſum, aut rurſus id, quod male antea ſucceſſit, experiri.

Scurrilitas.

Neq; etiã vel dicendũ vel faciendum quippiam eſt modo abiecto, conuenienti & ſcurrili, vt aliis riſum excitemus, qualia ſunt oculos & os diſtorquere, ſannionumq; ineptias geſticulãdo repræſentare. Nemo enim vt aliis placeat, ſeipſum vilem & abiectum facere debet. Hæc enim ars eſt non viri nobilis, ſed geſticulatoris & morionis. Itaque plebeii illi & vulgares iocorum modi non ſunt imitandi. Neq; etiam ſtultum, aut in iocis ſcurrilibus inſulſum te finges: ſed is, qui poteſt, ſuo tẽpore aliquid quod bellum & nouum, & non ita facile omnibus obuium ſit, proferet: qui vero id non poteſt, tacebit. Ex motib. enim animorum iſta proueniunt: quę ſi gratioſa ſint & venuſta, de animi dexteritate & moribus eius qui dicit, ſignũ & teſtimonium perhibent, quod quidẽ aliis ſupra modũ

placere ſolet, & illos ipſos caros & amabiles reddere.Si vero contrarium obtinent,contrarij quoque inde naſcuntur effectus. Videntur enim illi ſimiles eſſe aſinis delicias facientibus, aut craſſo alicui & ventricoſo choreas ducenti, vel tunica depoſita ſaltanti in palæſtra.

Narrationes iocoſæ. Rhetorica.

Sunt etiam alij quidam honeſtę iucunditatis & oblectationis modi,tantum in ſermone conſiſtentes, hoc eſt, quando lepor ille eſt non tam in ſalibus, qui vt plurimum breuitate gaudent, quam in prolixa & continuata oratione,quæ & recte ordinata,& bene expreſſa eſſe debet,ita vt ingenia,conſuetudines, geſtus & mores eorum de quibus ſermo eſt repræſentet:& vt is,qui auſcultat,non tam audire illam narrationem, quã rem ipſam quæ narratur, ſicuti geſta eſt, coram oculis intueri ſibi videatur. Id quod optime facere norunt viri & mulieres in Boccatio:quamuis nonnunquam niſi fallor, magis ſignate & proprie res turpiculas exprimãt, quam vel matronæ,vel viro honeſto cõueniebat: eodem fere modo,quo comœdię agi ſolent.Si igitur narrare aliquid velis, neceſſe eſt, vt aliquam vel fabulam,vel rem nouam,vel hiſtoriam quã commemorandam tibi ſumis, bene animo infixam teneas, & ſimul verba parata & in promptu habeas,ne ſubinde narrationem interrumpere, & iam de re ipſa;iam de perſonarum nomine,iam de inſtrumentis alios percontari, aut eorundẽ auxiliũ implorare cogaris. Quod ſi etiã aliquid quod inter plures dictum vel factũ eſt,comme-

morare

morare velis, non ita loqueris, *Ille dixit:* & mox: *Ille reſpondit.* Hæc enim pronomina omnibus perſonis conueniunt, atque ideo qui auſcultat, facile in errorem inducitur. Conuenit igitur, vt is qui aliquid narrat, nomina propria ponat, eaque poſtea inter ſe non permutet. Præter hæc quoque recitator iſte cauere debebit ne ſua narratione earum rerum mentionē faciat, quæ ſilentio præteritæ ſi eſſent, ipſa fabula non minus, aut etiam magis iucunda fuiſſet futura. *Is de quo loquor, fuit huius aut illius filius, qui habitat in via Iacobea, noſtine hominem? habuit is vxorem huius vel illius filiam, macilentam illam, quæ in S. Laurentii ſacris intereſſe ſolebat, cur non noſſes? certe ſi hanc non noſti, nullam noueris.* Item: *Bellus quidam & procerus ſenex, qui prolixam cæſariem alebat. an non recordaris?* Quia ſi alteri quoque idem eueniſſet, quod huic euenit: tota hæc quantumuis longa inquiſitio, parum fuiſſet vtilis imo etiam valde odioſa auſcultantib. qui cum ad integrā rei inchoatę cognitionem cupide properent, tu facis, vt huic ipſorum deſiderio mora iniiciatur. Talia forte apud delicatos auditores eſſent illa amatorculi Plautini. *Hic mihi eſt Megadorus auunculus. Meus fuit pater Antimachus, ego vocor Lyconides. Mater eſt Eunomia.* Parum enim ad rem præſentem facere videbatur tam accurata & prolixa progeniei enumeratio. Imo ego à magno quodam & peregrino dicēdi magiſtro vtile quoddā hac de re didici præceptū, quod tale eſt: Debere fabulas primo componi & ordi-

nari in animo nominibus fictis, & poſtea demum propriis perſonarũ nominibus adhibitis commemorari. illa enim ſecundum perſonarũ qualitatem, hæc vero ex voluntate parentum, aut eorum quorum intereſt, hominibus imponuntur. Qua de cauſa is qui in præmeditatione tibi fuit Auaritia, ille ipſe in narratione erit aliquis ciuiũ tuorũ, Tantalo aut Euclioni nõ diſſimilis, ſi modo de illo vniuerſalis omnium in tua patria talis erit opinio qualis antiquitus de Tãtalo aut Euclione eſſe ſolebat. Quod ſi in regione vbi tu commoraris, non habebis perſonam tibi cognitam, quæ tuo inſtituto congruat: ita conformare rem omnẽ debebis, vt alio in loco contigiſſe videatur: atque ita nomina pro libitu tuo confingere. Verum quidem eſt, quod maiori cum voluptate audiatur, magiſq; oculis noſtris obſeruetur, id quod dicitur, eueniſſe hominibus nobis notis, præſertim ſi euentum tale ſit, quod moribus ipſorum conueniat: quam id quod accidit extraneis, & nobis ignotis. Ratio hæc eſt. Cum enim ſcimus certum quempiam hominẽ talia facere ſolere: credimus etiam facilius ipſum feciſſe, eumque quaſi præſentem recognoſcimus: cum idem non cõtingat in extraneis. In narratione prolixiori, ſicut etiam in alio quocunq; ſermone, verba debent eſſe illuſtria, ita, vt à quouis ex præſenti ſodalitio facile poſſint intelligi: inſuper etiam ratione ſoni & rei ſignificatæ bella. quo circa ſi inter hæc duo libera tibi electio eſt, potius dices, *Ego duos mei*

facti habeo conſcios, quam teſtes. Item ſatius eſt dicere, *Iouem alpes niuibus conſpergere, quam conſpuere* Item, *ex animo moleſtiam eiicere, quã euomere.* quia ita ſi loqueris, dicta tua ſimpliciter accipientur: neq; ob ambiguitatem in ſenſum aliquem turpem, aut præpoſterum trahentur. Sed neque in imaginationem rei alicuius ſpurcæ & obſcœnæ auditorem induces. Et etiamſi fieri poſſit, vt nonnunquam præſtantiſſimi poetæ, & alii viri ſapientia excellentes in ſcriptionib. ſuis parum hæc obſeruarint: tamen hac in parte, in qua de amabili cum aliis conuerſatione, & vitando odio agitur, nulla eorũ autoritas eſſe debet. Sed vt ad priora redeamus, dico verbis claris & ſignificantibus eſſe vtendum: ꝙ fiet, ſi prudenter noueris eligere ea, quæ in patria tua nata ſunt, modo ne ſint vſque adeo antiqua, vt rancida quoq; & exoleta ſint, & tanquã veſtes lacerę & contritæ, iam abiecta in vſu eſſe deſierint. Talia in latina lingua ſunt, *poteſſe, caluier, fuat, leuaſſo.* Quintiam idipſum conſequeris, ſi verba quibus vteris, erunt ſimplicia, non ambigua. nam in ęnigmatum conformatione voces homonymæ conſtruuntur: vt in Aſinaria Plauti,

Nunc me illuc ducis, vbi lapis lapidem terit,
Vbi viuos homines mortui incurſant boues.

Eodem pertinet, vt verbis vtamur, quantum fieri poteſt, maxime propriis, & rem quã oſtendere volumus, ſignificantiſſime exprimẽtibus, & quæ quam minimum aliis quoque rebus accommodari poſſint. Ita enim fit, vt res ipſæ vi-

deantur repræſentari, & non tam verbis, quam digitis ipſis demonſtrari. Ita equi proprium eſt hinnire, canis latrare, porci grunnire, tauri mugire, ouis balare, apri frēdere, ſerpentis ſibilare. Cum igitur genuina & propria in ſermone cū aliis vocabula vſurpanda ſint: nemo poteſt cum eo commode colloqui, qui linguam, quæ in vſu eſt, non intelligit. Quare etiamſi hoſpes aliquis linguam, qua vtimur, non teneat: tamen eius cauſa noſtram loquelam non debebimus corrumpere. Sicut ſimii quidā ineptientes, magno cum niſu eius linguam vſurpare conantur, cum quo ſermones conferunt, atque ita omnia dicunt perperam. Inde ſæpenumero contingit, vt Germanus cum Belga belgice, & Belga pompæ & venuſtatis gratia cū Germano loquatur germanice. Vbi nihilominus audienti longe facilius eſt animaduertere, vtrumq; illorum lingua vti peregrina, quam riſum continere, quem nouæ illæ ineptiæ, è bucca eorum exeuntes, magnopere irritant. Aliena igitur linguarum demum vtemur, quando, neceſſitate aliqua noſtra vrgente, vt ab altero intelligamur, valde nobis opus eſt. Sed in communi cum aliis conuictu tantum patriam linguam adhibebimus, etiamſi ea aliis melioribus longe inferior & ignobilior cenſeatur. Bauarus enim aliquis multo cōmodius ſua lingua, quāuis ea minus habeatur concinna, loquetur, quam lingua Miſnica, aut quauis altera. Nunquam enim, etiamſi maxime in eo elaboret, ita bene illi ſe offerent propria &

pecu-

peculiaria eius linguæ vocabula,ſicuti iis,qui in Miſnia nati ſunt,ea ſe offerũt. Quod ſi omnino quis eorum quibus cum loquitur,rationem habere velit, eamq; ob cauſam à ſingularibus iſtis vocabulis, de quibus iam dictum eſt,abſtinere, eorumque loco alia generalia & communia vſurpare:eius certe ſermones hoc nomine multò minus erunt iucundi. Porro quilibet vir honeſtus cauebit ſibi à verbis parum decentib. & inquinatis. Honeſtas autem vocabulorum conſiſtit;vel in eorum ſono & voce,vel etiã in eorum ſignificatione. Sunt enim vocabula nõnulla res honeſtas ſignificantia,& tamen nihilominus in ipſa voce & ſono videtur ſentiri aliquid inhoneſti. Vbi igitur verba huiuſmodi leuiter quoque ſuſpecta ſe offerunt, ſolent fœminæ honeſtiores in eorum locum alia magis decẽtia ſubſtituere. Etiamſi reperies nonnullas,nõ optimè moratas,quib.ſatis crebro & inconſiderate verbum quodpiam excidit,ob quod;ſi de induſtria apud ipſas nominaretur,ipſæ quoque erubeſcerẽt. Quocirca mulieres,quæ bene moratæ ſunt; vel etiam haberi volunt,diligenter non ſolum à factis, verum etiã à dictis inhoneſtis ſibi cauebunt; neque ſolum ab iis quæ talia ſunt, verum etiam ab iis quæ talia eſſe poſſunt, aut etiã turpia,indecora,& impura videri. Sciendum quoque eſt, etiamſi duo vel plura vocabula nõnunquam rem eandem ſignificent, quod tamen alterum altero magis aut minus ſit honeſtum. Verbi gratia, non inhoneſte dici poſſet; *Cum*

mulierepernoctauit: ſed ſi eandem ſententiam alió & magis proprio verbo exprimes, auditu id inhoneſtum eſſet futurum. Ita fœminas atq; etiã viros bene moratos decet, meretrices nominare mulieres impudicas, atq; ita de cæteris. Neq; ſolum fugienda ſunt verba inhoneſta & impura, verum etiam abiecta & vilia, & id iis maxime in locis, vbi de rebus magnis & illuſtribus ſermo eſt. eamque ob cauſam merito reprehendi videtur Poeta quidam alias non ignobilis, qui cum ſplendorē cœli ſereni deſcribere vellet, dixit: *& ſine feci dies.* Vocabulū enim tam humile & putidum, rei tam ſplendidæ & illuſtri, meo quidem iudicio, non conueniebat. Neque etiam *ſolem lucernam mundi* commode quis dixerit: hæc enim vox fœtorem olei & culinæ legenti repræſentat. Huc pertinent plurima quæ in ore omnium ſunt prouerbia, quorū ſententia quidem bona eſt, ſed verba ſordibus vulgi ſunt inquinata: id quod vnuſquiſque ex ſermone quotidiano facile intelligit. In narrationibus ergo longiuſculis ea quæ dicta ſunt hactenus, ſunt conſideranda, imo alia quoque nonnulla, quæ multo expeditius à tuis magiſtris, & ex arte Rhetorica addidiceris. Inter alia etiam opus eſt, vt te aſſuefacias ad verba elegantia, modeſta & iucunda. & quibus nihil inſit ſaporis amari. Potius enim dices: *Ego pro dignitate verbis exprimere hæc non potui:* quam, *Tu me non intelligis.* Item ſatius eſt ita loqui, *Cogitemus, aliquantulum an res ſic ſe habeat:* quam dicens, *Tu erras:*

aut

aut, *Ita ſe res non habet*: aut, *Tu hæc non intelligis.* Honeſta enim & ambilis conſuetudo eſt, alium excuſare, etiam in eo, in quo intelligis iure eum culpari poſſe. Imo etiamſi amicus tuus ſolus errauerit, tamen cum errorem vtrique veſtrum facies communem, cumque eius partem aliquam tibi aſſcripſeris tum demum ipſum admonebis, aut reprehendes, hoc aut ſimili modo loquens: *Nos vehementer erramus*: item, *Nos non recordati ſumus, vt heri hoc vel illud faceremus:* etiamſi ille ſolus, non tu, eius rei fuerit oblitus. Illa quoque verba quibus nonnunquam homines inciuiles apud alios vtuntur, cum aiunt *ſi modo ea quæ loqueris vera ſunt*, ſupra modum dedecent. Neque enim vſque adeo facile alterius fides in dubium eſt vocanda. Quin ſi quis forte aliquid tibi promiſerit, quod poſtea non præſtet, inconueniens eſt dicere: *Soluiſti fidem.* niſi forte ad id faciendum, vel extrema neceſſitas, vel exiſtimationis tuæ defenſio te impellat. Quod ſi idem te deceperit, dicere poteris, *forte obliuione circumuentus meum hoc negotium non expediuiſti.* Aut ſi oblitus ſit, potius dices, *Tu facere hoc non potuiſti*: aut, *Forte tibi in mentem iam non venit*: potius dico, quam, *Tu tradidiſti illa obliuione: Tibi vt promiſſis ſtares, cura non fuit.* Hæc enim & huius generis verba aculeos quoſdam habent, & veneno quodam doloris & contumeliæ ſunt imbuta: vſque adeo quidem, vt ii, qui crebro huiuſmodi dicteriis vtuntur, homines aſperi & rigidi habeantur, & vnuſquiſque

eorum conſortium ita fugiat, ſicuti, vt ne à ſentibꝰ aut tribulis pūgatur, refugere ſolet. Et quoniam cognoui nonnullos prauæ cuidam, & inſcitæ conſuetudini obnoxios, hoc eſt, qui adeo cupidi & auidi eſſent garriendi, vt ne quidē certam aliquam ſententiam animo comprehēderent, multo minus verbis explicarent, ſed eā incitato curſu præterirēt, inſtar canum venaticorum, qui ob nimiā celeritatem, feram nō comprehendunt: idcirco ſine vlteriori deliberatione, hoc quoq; tibi indicabo, de quo forte, quia omnibus manifeſtum eſt, admonitionem inſtitui, fuerit ſuperuacaneum. eſt autem tale. Nullum vnquam ſermonem inchoandum eſſe, niſi prius eius, de qua dicendum eſt, rei formā animo conceperis. Sic enim oratio tua partus erit legitimus, non abortus. Quod ſi præceptū hoc meum non fueris aſpernatus, nunquā tibi eueniet, vt alios ſalutans, in eorū nominibus erres, aut petere cogaris, vt alter ſuū tibi nomen ſuggerat: Neq; etiam opus erit, vt ipſe cum riſu dicas, *Hem ego non dico bene: ſic & ſic me dicere oportuit*; aut vt lingua quaſi impingens ſatis diu balbutias, donec aliquod verbū inuenias, id quod cū audientiū intolerabili moleſtia eſt coniunctū. Cauendum quoq; eſt, vt vox tua non ſit rauca neq; aſpera: neue per riſum, aut alias, ſtridorē rotarum in plauſtro imitetur, Inter oſcitandum quoq; ſermo eſt cohibendus. Ipſe quidem non ignoras, non poſſe nos in nobiſipſis efficere, vt noſtro arbitrio vel linguam expeditam, vel bonam

nam

nam vocē habeamus:ſed tamen,qui aut balbus aut raucus eſt, nō præ omnibus aliis garrulus & vocalis eſſe debet,ſed potiꝰ linguæ ſuæ defectū ſilentio & auſcultatione emendare. Quamuis ſtudio quoq; adhibito vitia illa naturę aliquando minui queant.Indecorum quoque eſt inſtar præconis edictum aliquod proclamantis , vocem attollere:aut etiam eandem ita deprimere, vt exaudiri ab auſcultante non poſſit. Quod ſi prima vice verba tua exaudita nō ſint,atq; ideo eadem forte ſint repetenda : ſecunda illa vice neq; ſubmiſſius loqui debebis,neq; etiam iuſto vehementius vociferari, ne , ideo quod ſemel dicta denuo iteranda fuerint,bilem tibi indices cōmoueri.Verba quoq; in oratione ita collocari debent,ſicuti vſus ſermonis quotidiani poſtulat:nimirum vt neque ſint inuoluta & intricata,aut nimis ambitioſe huc & illuc traiecta, quod multi ex affectatione quadam venuſtatis facere ſolent,quorum quidē ſermo ſimilior eſt verbis alicuius Notarij,qui inſtrumentū Latine à ſe conſcriptum lingua vernacula aliis prælegit,quam orationi hominis alterius, patria ſua lingua vtentis.Oratio quidē ita traiecta & perturbata nonnunquā iis qui verſus faciunt, congruit,ſed in ſermone familiari ſemper indecora eſt.Neque ſolum à Poeticis loquendi modis in familiari ſermone abſtinendum eſt , verum etiam à pōpoſa illa in publico dicendi ratione, id enim niſi fiat,inſuauis & tædii plena erit oratio: etiamſi maioris forte artificii ſit, orationes illas

ſolennes habere, quā priuatim cum altero colloqui. Sed tamen hoc ipſum ſuo loco eſt reſeruandum. Quia per plateas qui incedit, ſaltare nō debet, ſed ire, etiāſi enim ire poſſint omnes, ſaltare vero non item: tamen id nuptiis magis congruit, quā viæ. Ab hoc igitur pleno oſtentationis ſermone tibi cauebis. Neque tamen volo, vt propterea ad abiectam illam & vilem loquendi rationem, qua infima fex plebis, in qua cerdones baiuli & lotrices ſunt, vtitur, te aſſuefacias: ſed potius vt ſermonem hominum bene moratorum & nobilium imiteris. quod ipſum quomodo fieri poſſit, aliqua ex parte ſuperius tibi demonſtraui. Si nimirum de materia neq; vili, neque friuola, neque ſordida, neq; abominanda ſermocinabere. Item ſi ex verbis tuæ linguæ noueris eligere ea, quæ maxime ſunt pura, propria, bene ſonantia, quæq; quam optimam ſignificationem habeant, nulliuſque rei vel turpis, vel ſpurcæ, vel vilis recordationē animo inſinuent. Item ſi illa ipſa verba concinne inter ſe conſtrues, ita vt nō fortuito inter ſe coacervata & confuſa, neque etiam obſcura quadam diligentia in menſuram & pedes certos coacta videantur. Si item operam dabis, vt ea quæ dicenda ſunt, prudenter & diſtincte proferas, & res diuerſas & valde diſſimiles inter ſe non coniungas. Præterea ſi in ſermone neque ita lentus eris, vt aliquis in menſa, qui rerum omnium eſt ſatur: neque ita auidus, vt quiſpiam famelicus: ſed ſi ita loqueris, vt homo moderat⁹ facere de-

Præcepta Rhetorices.

bet. Si item litteras & ſyllabas cum conuenienti quadam dulcedine proferes (ſed id tamen non more pædagogi alicuius, qui in ratione legendi & litteras coniungendi pueros informat (neq; verba vel manducantium inſtar dentibus conficies, vel ea inter ſe conglutinata & compacta quaſi degluties. Hæc igitur & alia eius generis præcepta ſi accurrate memineris, libenter & cũ voluptate alii te audient: & tu ipſe eum dignitatis locum, qui viro honeſto, beneque educato ac morato cõuenit, cum laude obtinebis. Multi præterea ſunt, qui finem dicẽdi facere non poſſunt, & ſicuti nauis ventorum impulſu primo concitata, etiam velis contractis non ſubſiſtit; ita ipſi quoq; certo quodã impetu incitati curſum continuánt, & licet materia dicẽdi illis deſit, tamen idcirco non deſinunt, ſed aut iam antea dicta denuo inculcant, aut quidquid in buccam venit, temere effutiunt. Nonnulli quoque tanta & tã inſatiabili dicendi quaſi ingluuie laborant, vt alios locuturos interpellent. Et ſicuti nonnunquam in ruſticorum fimetis videmus, pullos gallinaceos alios aliis ex roſtellis grana præripere: ita iſti ſermonẽ inchoatum alteri ex ore auferunt, & ipſi mox incipiunt ſermocinari. qui profecto ita aliis bilem concitant, vt potius manus quã verba cum illis conſerere expetant. Etenim ſi accurate rem perpendas, nihil eſt quot citius & facilius alterius irã prouocet, quam ſi deſiderium & voluntas eius, etiam circa rem minimã, ex improuiſo impediatur, vt ſi

oſcitandi gratia os aperias,& id ſubito ab altero tibi comprimatur: Aut ſi lapidis proiiciẽdi cauſa dextrã iam ſuſtuleris,& alter à tergo tibi, nihil tale cogitanti,eã inhibeat.Sicuti igitur hi & multi alii his ſimiles, propoſitum & voluntatẽ aliorum impedientes modi,etiã in ludo & ioco ingrati,& fugiendi ſunt:ita in dicendo quoque ſatius eſt, aliorum deſideriũ adiuuare quã impedire.Quocirca ſi quis iam totus in eo erit, vt factum aliquod cõmemoret,indecorum eſt, ſi tu inchoatam narrationem illi corrumpas, aut dicas te idipſum ſcire.Vel ſi in hiſtoriæ illius ſuę progreſſu mendaciolum aliquod inſperſerit,tu nequaquam hoc illi,neque verbo,neque geſtu exprobrabis,vel etiã caput quatiendo aut oculos diſtorquendo,id quod multi facere ſolent, qui confirmant amaritiem illam mẽdacii nullo ſe modo ſuſtinere poſſe.Sed hæc non vera huius rei cauſa eſt,ſed potius acrimonia & acerbitas ruſticæ & aſperæ ipſorũ naturæ, quæ illos in mutua ſermonum & officiorũ communicatione ita acerbos reddit,vt quilibet eos auerſetur. Moleſta etiã conſuetudo eſt,alterius verba quæ in ore habet,obſtrependo interrumpere,quod quidẽ tantopere ei,qui id patitur,placet, quantopere placeret,ſi te aliquis pleno curſu ad metam contendentem ſubito retraheret.Neq; etiam conuenit,vt alio quopiam loquente,tu,vel noui aliquid monſtrando , vel præſentium attentionem aliorſum ſeuocando,efficias , vt ab auditoribus neglectus deſeratur. Neque enim

decet,vt non à te,ſed ab aliis inuitatos tu dimittas. Attentus quoque eſſe debèbis, cum alii tecum colloquentur:ne ſubinde tibi opus ſit dicere, *quid ais? quomodo dicebas* ? quo quidem vitio multi laborant cum tamen hoc non minori cum loquentis moleſtia ſit coniunctum, quam ſi inter eundũ pedes ſaxo alicui impingeret. Hi modi omnes,& in vniuerſum quidquid curſum dicẽtis ex directo,vel tranſuerſo poteſt inhibere,eſt fugiendum. Quod ſi quis in loquendo tardior ſit,non debebis illum anteuertere , aut verba ei ſuppeditare,tanquam tu opulentus ſis, cum ille ſit egenus. Multi enim hoc in malam partem accipiũt,& ii præſertim,qui ſe valde diſertos eſſe ſibi perſuadent,atque ideo arbitrantur,ſibi nõ tantum à te tribui,quantum ſibi tribuendum eſſe ipſi opinãtur : teq; in ea arte cuius ſcientiam profitẽtur,aliquid ipſis velle ſuggerere. Perinde vt mercatores nonnulli faciũt, qui ignominiæ loco habẽt,ſi quis eis ſuam offerat pecuniam,quaſi ipſi nõ habeant, aut pauperes ſint,aut certe aliorum ope indigeant. Et ſcito quod vnuſquique ſibiipſi videatur bene loqui poſſe,etiãſi forte aliqui modeſtiæ cauſa id negent. Neque ego diuinare poſſum , quæ cauſa ſit,quod qui minimum ſcit , fere plurimũ loquatur. à quo ipſo,id eſt,à nimio ſermone , vt homines morati ſibi caueant , conueniens eſt, præſertim ſi nõ maximæ ſint intelligentiæ. idq; non ſolùm ideo quod difficile ſit,vnũ eundemque ſimul & multa loqui,& non multum erra-

re: ſed etiam quod is qui eo modo verboſus eſt, certo quodã modo iis qui audiunt, excellentior eſſe videatur, ſicut præceptor ſuis diſcipulis habetur præſtantior. quocirca indecorum eſt, ſi quis hac in parte maiorem, quam par eſt, excellentiam ſibi aſcribat. In hoc autem peccatum non ſolum multi homines, verum multæ quoque nationes incidunt, garrulæ & loquaces. Væ iis auribus, quas ſemel illæ apprehenderunt, ſuiſque ineptiis patere cogunt.

Taciturnitas.

Iam ſicuti ſermo immodicus faſtidium parit, ita etiam nimia taciturnitas odioſa eſt. Ibi enim tacere, vbi alii per vices loquuntur, nihil aliud videtur eſſe, quam ad conuiuium pro ſua parte ſymbolum nolle conferre. Et quoniã loqui eſt alteri audienti ſuum animum aperire: ex aduerſo qui tacet, videtur aliis velle eſſe ignotus. Quamobrem ſicuti ii, qui in ſolennitatibus & feſtis ſuis multum bibere, ſeque inebriare conſueuerunt, remouere à ſe ſolent eos, qui non bibunt: ita mutos quoque iſtos in lætis & amicis congreſſibus nemo libenter videt. Periucunda igitur conſuetudo eſt, ſi alternatim ſuo quilibet loco & loquatur & taceat.

Polycletus eiuſque Canon.

Fuit iam pridẽ in Peloponneſo, quod ex antiquis hiſtoriis patet bonus quidã vir & ſtatuarius, qui propter nominis ſui celebritatem, vt ego exiſtimo, Polycletus, id eſt, artifex clariſſimus, eſt cognominatus. Is in extrema ſenectute opuſculum quoddam confecit, quo omnia artis ſuæ, quam ipſe rectiſſime tenebat, præcepta

eſt

eſt complexus: demonſtrans in eo, quomodo membra corporis humani metienda eſſent, vnumquodque ſeorſim, vel etiam reſpectu alterius conſiderando, vt cõueniendi ſymmetria ſibi mutuo correſponderent. Quod ſuum volumen ille Canona ſeu Regulam appellauit, indicare volens, quod ſecundum eam, tanquam legem quandam, omnes ſtatuas deinceps ab aliis ſculptorib. faciendas exigere & cõformare deberent: ſicuti trabes, lapides, & muri quoque ad certam quandam regulam examinantur. Sed quoniam dicere, res multo facilior eſt quam facere: & præterea maior pars hominũ, & maxime illiterati, ſemper ſenſus potius exteriores in promptu habent, quam mentẽ & intellectum, atque ideo quod proximum eſt, melius res ſingulares & exempla, quã res vniuerſales ſeu ſyllogiſmos & ratiocinationes animo comprehẽdunt: iccirco excellens ille, quem diximus, ſculptor rationẽ habens naturæ artificium, generalibus præceptis intelligendis non ſatis accõmodatæ, & ſimul ſuam in ea parte excellentiam facturus illuſtriorem, de marmore optimo ſibi proſpexit, ex quo diuturno labore ſtatuam formauit, ea membrorum inter ſe ſymmetria omnibuſq; ſui partibus ita abſolutam, vt antea libri ſui præceptis id expoſuerat. Et ſicuti tunc librum, ita iam ſtatuam quoque ſuam Regulam appellauit. Vtinam vero hoc ita iam Deo placitũ eſſet, vt, ex iſtis duabus rebus, quarũ vtramq; nobilis ille artifex perfectè tenuit, altera ſo-

ſummodo mihi concederetur.nimirum vt tantum libello hoc meo debitam;eius quam trado artis menſuram; poſſem complecti. Nam alterum illud, vt in meipſo & moribus meis ideam quoque & exemplum, quod præceptis iam datis perfecte reſpődeat; oculis ſubiiciam tuis, illud inquã deinceps forte à me fieri non poteſt. Quandoquidem iis in rebus;quę ad mores hominũ formandos pertinent, non ſatis eſt, ſcientiam & regulam certam habere,ſed opus eſt eas actu & vſu quotidiano repręſentare, id quod vno quaſi momento; & breui tẽporis ſpacio acquiri non poteſt. Verum permulti, per inquam multi anni, quorum tamen pauciſſimi, vt vides, reliqui mihi ſunt, ad hoc requiruntur. Neq; tamen hãc ob cauſam meis hiſce præceptis minus fidei tribues:Bene enim quis alteri eam viã poteſt monſtrare,per quam iter faciens ipſe errauit. Imo qui aberrarunt,forte multo accuratius obſeruarunt, & memoria tenent diuerticula illa fallacia & incerta, quã alius quiſpiam; qui ſemper via recta &regia inceſſit.Quod ſi in pueritia mea, cum animi adhuc teneri ſunt & flexibiles, iis,quos mei curã habere oportuit,mores meos, ſua forte natura duriuſculos & rudes, recte & commode flectere, mollire & expolire ſciuiſſent: talis forte ex eorum diſciplina prodiiſſem, qualem ego te, qui non minus quam filius mihi carus es, efficere & conformare hoc tempore elaboro. Etiamſi enim magna vis ſit naturæ: nihilominus tamen ea vſu & exercitatione ſæpiſſi-

Vſus & recta ratio naturæ prauæ dominetur.

ſæpiſſime ſuperata eſt, vel ſaltem emendata. Veruntamen quã fieri poteſt, citiſſime inchoanda eſt hæc diſciplina, qua vitiis naturæ obuiam eatur, eaque prius retundantur, quam illorum vis &robur nimium inualeſcant. Id quod pleriquè nequaquam faciunt. Imo etiam cum cupiditatum ſuarum impulſu à recto itinere declinarũt, & ſine vllo eis reſiſtendi ſtudio, quo illæ rapiũt, ſequuntur, credunt tamen ſe naturæ obedire. Quaſi vero ratio non ſit homini naturalis. Imo recta ratio tanquam regina &magiſtra poteſtatem habet mores & conſuetudines corruptas mutandi, ipſamq; naturam, ſi quo inclinet, aut etiam aliquando labatur, ſubleuandi. Verum nos vt plurimum rationi non auſcultamus, atq; ita etiam vt plurimum iis, quibus eam Deus nõ conceſſit, id eſt beſtijs, ſimiles ſumus. In quibus tamẽ ipſis nihilominus aliquid agit & operatur ratio, non quidem ipſorum propria, qua per ſe plane deſtituuntur, ſed noſtra. id quod in equis potes animaduertere, ꝗ ſæpenumero, imo ſemper potius natura ſua feri & indomiti eſſent futuri, & tamen equiſo eos reddit non ſolũ manſuetos, verum etiam præter hoc quaſi doctos & moratos. Multi enim ſuccuſſores futuri eſſent, quos ille vt tollutim incederent aſſuefaciens, gradarios reddidit. Idem ille ſimiliter multos equos docet, iam ſtare, iam currere, iam in gyrum ire, iam ſaltare, & ea omnia equos etiam addiſcere non ignoras. Quod ſi igitur equi, canes, volucres, & multa alia animalia magis ec-

iam quam hæc,ſunt feta,alterius rationi ſe ſubmittunt,eique obediunt:eaque quæ natura ſua non ſciebant,diſcunt:& quantum cõditio illorum fert,quodãmodo prudentia & virtute prędita,non quidem natura ſed cõſuetudine, euadunt:quanto meliores nos futuros credendum ſit,ſi rationis nobis propriæ pręceptis aures dociles adhibeamus.Sed ſenſus noſtri amãt & appetunt præſentem voluptatem, qualiſcunque ea ſit:moleſtiam vero omnem odio habẽt, & à ſe cupiunt amouere.Atque ideo rationem, quę amara ipſis videtur, inſuper fugiunt. quandoquidem nõ de voluptatibus, quæ ſæpenumero noxię ſunt,illis prouidet,ſed potius de honeſto & bono,quod ſemper cum moleſtia & ſapore amaro,maxime in iis,qui guſtandi quoque vim corruptam habent,eſt coniuncta.Quatenus enim ſecundũ ſenſus inter nos mutuo viuimus, ſimiles ſumus miſero alicui ægrotãti, cui omnis cibus,quantumuis delicatus ſit & ſuauis, videtur eſſe amarus aut ſalſus, atq; ideo ancillæ aut coquæ,quæ hac in parte plane extra culpã ſunt, ſtomachatur.Non enim cibi, ſed ſuam propriam amaritudinem ſentit,cui linguam, quæ guſtatus inſtrumentum eſt habet inuolutam. Sic ratio quoque,quæ per ſe dulcis eſt, nobis non ſuo,ſed noſtro ſapore vitioſo videtur amara:atque ideo tenerorum delicatorumq; more guſtare eam nolumus, noſtramque vilitatem his fere verbis occultamus. Quod naturæ neque calcaria, neque freni poſſint adhiberi qui-

bus

bus illa vel incitetur vel contineatur; atq; ideo ſinendum eſſe, vt, quocunque fert impetus, liberrime ruat. Profectò ſi aut boues, aut aſini, aut forte etiam porci, ſermonis vſum haberēt, credo ego, quod ſententiam magis inhoneſtam & abſurdam, quàm hæc eſt, proferre vix potuiſſent. Certe etiam in virili & decrepita ætate eſſemus pueri: & cani iam, non minus, quā pueri, vanis & nugatoriis ineptiis dediti eſſemus; niſi ratio eſſet, quæ vna cū ætate in nobis creſcit, & adulta iā, nos quaſi ex beſtiis homines facit: ita quidem vt in ſenſus & appetitus noſtros vim & potentiam ſuā exerceat. Et ſi quando fines honeſti in vita & moribus tranſeamus, id non tam defectui naturæ, quàm noſtræ malitiæ eſt adſcribendum. Quod cum ita ſit, falſum eſt, quod contra naturā frenos aut magiſtros non habeamus. Imò eorum duos habemus, quorum alter eſt vſus; alter recta ratio. Verum ſicuti paulo ante tibi dixi non poteſt ratio ex male morato benè moratum efficere ſine exercitatione & vſu, quem parit & adfert tempus. Qua ipſa de cauſa, maturandum eſt, vt rationi auſcultare incipiamus, non ſolū ideo, quod tum aliquis plus tēporis habeat aſſuefaciendi ſe, vt talis fiat, qualis ab ea eſſe iubetur: atq; ita quaſi illius domeſticus & familiaris ſit: verū etiam quod ætas tenera, & nullis adhuc vitiis inquinata, facilius quolibet colorē imbuatur: atque adeo res illæ, quibus à primis vnguiculis aliquis aſſueuit, indies magis magiſque ſoleant placere. Eamque

Principiis obſta.

Theodorus tragœdus.

ob cauſam aiunt, Theodorum quendam nobilem tragœdum ſemper in actione fabularum ſuarum primum eſſe voluiſſe: etiam ſi alium quempiam, ante ſe recitaturum, vilem, nulliuſq; præ ſe exiſtimationis eſſe intelligeret. Exiſtimabat enim, ſpectatores, primis illis auditionibus quas accepiſſent, beneuolos iam familiareſque factos, non facile vllam aliam, quamuis meliorem eſſe probaturos. Quia vero ob cauſam iam dictam, facere non poſſum, vt facta meà dictis exacte congruant: id quod Polycletus faciebat, qui ꝙ docebat, reipſa quoq; poterat præſtare: ſatis mihi ſit aliqua ex parte quid fieri debeat, dixiſſe: poſtquam agendo idipſum exprimere omnino non poſſum. Sed quia ex aſpectu tenebrarum cognoſcitur quid ſit lux, & ex ſilentio percipitur quid ſit ſonus: ſic meos hos mores parum gratioſos, & quaſi obſcuros contemplãdo colligere poteris, quale decus & lumen ſit morum iucundorum & laudabilium. Vt igitur ad ipſum noſtrum propoſitum, cui iam iam finem imponemus, reuertamur: dicimus quod mores feſtiui & iucundi ſint, qui aliquem ex ſenſibus delectant, vel ſaltem neque ſenſus, neque appetitum, neque imaginationem, eorum quibus cum viuimus, aliqua afficiunt moleſtia. Et de iis quidem hucuſque verba fecimus.

Venuſtas & Charis.

Verum inſuper ſciendum tibi eſt, quod homines valde expetentes ſint pulchritudinis venuſtæ & concinnæ: & ex aduerſo à rebus turpibus, monſtroſis & deformibus plane abhorreant,

reant,

ſeant. Et quidem hoc priuilegium nobis peculiare eſt: alia enim animantia, quid venuſtas aut concinnitas ſit, intelligere nõ poſſunt: Quocirca hoc ipſum tanquam non commune nobis cũ beſtiis, ſed generi noſtro propriũ, per ſe magnifacere & carum habere debemus. Atq; id longe magis illi, qui præ aliis hominibus intelligentes ſunt; tanquã ii qui ad decus pulchritudinis conſiderandum magis ſint idonei. Et quamuis, quid pulchritudo ſit, difficulter ad vnguem explicari poſſit: vt tamen nihilominus notam aliquam, eius quod illa eſt, habeas, ſcire te volo, quod ibi, vbi menſura conueniens eſt partiũ inter ſe, & inter partes & totum, ibidẽ ſit pulchritudo. eamq; rem, in qua ſymmetria iſta deprehenditur, vere pulchrã poſſumus appellare. *Quid pulchritudo.* Atque ideo, quod alias ex viro quodã docto & rerum multarũ ſcientia conſpicuo didici, pulchritudo, vt plurimum vnum quidpiã eſſe ſolet: deformitas autẽ ex aduerſo multa complectitur. ſicuti id in facie bellarum & venuſtarum iuuẽcularum potes animaduertere. in ea enim omnia ſic ſunt formata & diſpoſita, vt ad illam vnam ſolummodo faciem conſtituendum creata eſſe videantur. id quod in deformibus contingit nequaquam. Si enim quæpiam forte oculos habeat grandes & emiſſitios, naſum exiguum, malas inflatas, os intortum, mẽtum prominens, cutem fuſcam: ea videtur, non vnius alicuius fœminę faciem habere, ſed eam per partes ex multis faciebus compoſitam. Reperias

quoque nõnullas, quarum ſingula membra ſeorſim conſiderata,ſunt pulcherrima:ſed omnia ſimul inter ſe collata inuenuſta ſunt & deformia; non aliã ob cauſam, quam ꝙ partes illæ ſeorſim pulchræ,non vnius illius,ſed plurimarum ſunt fœminarum,forma præſtantiũ:ita quidẽ vt hoc ab vna, illud ab altera mutuo accepiſſe videantur.Et forte pictor ille,cũ puellas Calabras nudas eſt contemplatus, nihil aliud fecit,quam vt mẽbra corporis ſpecioſi cõſideraret in multis, quarum illa hoc, illa alterum ab vna quapiã perfectæ pulchritudinis muliere commodato accepiſſet.Si enim effeciſſet,vt vnaquęq; ſuum, quod acceperat, membrũ reſtitueret, & ipſe omnia illa vnum in corpus collata,denuo cõcinne inter ſe coagmentaret: talem & ſic vnitã Helenæ pulchritudinem eſſe debere ſibi imaginabitur. Neque volo vt cogites hoc tantum in facie & membris corporis humani euenire. imo id in ſermone & actionib. eodem plane modo euenit.Vt ſi matronam aliquam nobilem & ornatam videres ad riuulum, in via publica ſupellectilem ſuam culinariam lauantem: etiamſi ea plane aliena eſſet,tamen in hoc tibi diſpliceret, quod non vnius ſolummodo, ſed plurium effigiem repræſentaret. Siquidem reipſa fœmina lauta & nobilis eſſet: opera autem ipſius eſſent mulierculę alicuius plebeię & impurę. Neque tamẽ ideo à muliere iſta vel odor vel ſapor ingratus, vel ſonus aut color aliquis iniucundus ad te perueniret, neque alias appetitui

tuo

ſuo moleſtiam illa exhiberet. verum per ſe inſitus ille mos, & actio ab huiuſmodi muliere aliena, tibi eſſet diſplicitura. Quocirca decet, vt áb his quoq; inconditis & inconuenientibus moribus tibi caueas, & id quidē pari aut etiam maiori cum ſtudio, quam ab illis, de quibus hactenus tibi dixi. Quandoquidem multo difficilius eſt cognitu, quãdo in ſuperioribus illis, quis delinquit, quam quãdo in his, quia faciliores perceptu videntur eſſe actiones ſenſuum, quam actiones intellectus. Sed tamē nihilominus ſatis ſæpe accidere poteſt, vt id, quod ſenſibus diſplicet, etiã diſpliceat intellectui, verũ non eandem ob cauſam. Id quod ſupra tibi dicebam, cũ demonſtrarē, quod quilibet veſtire ſe deberet eo modo quo in præſentia veſtiũtur alii, ne forte eos vel reprehendere, vel corrigere velle videretur. ꝙ ipſum non tantum appetitui multorum hominum, qui laudis ſunt cupidi, moleſtum eſt: ſed etiã iudicio virorum intelligentium diſplicet. Veſtes enim ſeculi, quod mille annis noſtro fuit prius, non conueniunt perſonæ hoc iam ſeculo viuenti. Similiter moleſti & ingrati aliis ſunt ii, qui more agaſonum & aurigarum veſtiuntur, ita quidem diſſolute, vt thorax cum caligis confligere velle videatur. Vſq; adeo veſtes illæ corporibus ſuis ſunt inhabiles. Eundem in modum multa ſunt ſuperius enumerata, quæ forte hic etiam recte repeti poſſent, cum in iis modus & menſura illa non ſeruetur, de qua in pręſentia loquimur, neque in iis tem-

pus locus, res & perſonæ ita concinne, vt oportebat, inter ſe vnita ſint & congruant. Nam ex his quoq; hominum mentes ſuam oblectationem, voluptatem, & iucunditatem percipiunt. Sed malui ea ibi potius inter ſe coniungere, & tanquam ſub ſenſuum & appetitionum vexillum mittere, quam intellectui eadem aſſignare: vt eo facilius ab omnibus cognoſci poſſent. Aliquid enim ſenſu percipere, aut appetere, vnuſquiſque poteſt: recte autem intelligere vniuerſalia, & id maxime, quod iam pulchritudinē, iam concinnitatem, iam venuſtatem vocamus, non eſt cuiuſuis. Quamobrem nobis non ſatis eſſe debet, vt aliquid bene faciamus: verum in hoc etiam incumbere debemus, vt id fiat venuſte. Venuſtas vero nihil aliud eſt, quam quædā quaſi lux, quæ ex rerum bene compoſitarum, & concinne, ratione totius, partium inter ſe diſtributarum congruentia effulget: ſine qua quidē ſymmetria bonum quoque non eſt bellum: & ipſa pulchritudo non eſt venuſta & gratioſa. Et quemadmodum opſonia quantumuis bona & ſalutifera, inuitatis placitura non eſſent, ſi ſaporem aut nullum haberent, aut vitioſum: ita nōnunquam hominum quoq; mores, etiamſi per ſe nulli noceāt, nihilominus inepti ſunt & acerbi: niſi quis vna cum iis dulcedinem illam addiſcat, quæ, ſicuti credo, gratia & venuſtas appellatur. Quocirca quodlibet vitium propter ſe, & nullam aliā ob cauſam, diſplicere nobis debet. ſunt enim vitia res vſque adeo indecoræ & in-

Non ſatis eſt bene quid facere, niſi etiam fiat venuſte.

conue-

conuenientes, vt animi moderati & ſibi conſtantes ex eorum dedecore moleſtiam & tædiũ perſentiſcant. Quapropter eum qui in conuerſatione cũ aliis amabilis eſſe cupit, ante omnia decet fugere vitia, & ea maxime, quæ præ aliis ſunt turpiſſima, qualia ſunt luxuria, auaritia, crudelitas, & alia his ſimilia: quorũ quædã plane abiecta ſunt & vilia, ſicuti gula & ebrietas: quædã ſpurca, vt eſſe libidinoſum: quædã ſceleſta, vt eſſe homicidã. & ita de cæteris. quorum vnumquodq; per ſe & proprietate ſua aliis exoſum eſt, alterũ quidem magis, alterum minus. Sed omnia in vniuerſum, tanquã res turpes & illicitæ, hominẽ in ſocietate vitæ cõmunis reddunt inamabilem, id quod etiam ſupra tibi demonſtraui. Sed quia hoc tempore non de flagitiis, ſed tantum de erratis hominum te erudire conſtitui, nequaquam in præſentia debeo laborare, vt de natura vitiorũ & virtutum diſputem: ſed ſolummodo de moribus concinnis & incõcinnis, quib. inter nos mutuo vtimur. Inter autem modos iſtos inconcinnos non poſtremus fuit ille comitis Richardi, cuius ſupra facta eſt mentio quem ipſum tanquam deformẽ, & reliquis illius bellis & cõcinnis moribus diſſonũ, eximius ille Epiſcopus, ſicuti muſicus excellens ſymphoniã diſcordem, quam primum animaduertit. Decet igitur hominem moratũ concinnitatis huius, quam dixi, rationẽ habere, in incedendo, in ſtando, in ſedẽdo, in actionibus, in cultu, in veſtitu, in ſermone, in ſilẽtio, in ocio &

negocio. Neq; enim vir mulieris inſtar comere & exornare ſe debet, ne aliud ſit ornatus, aliud perſona. ꝙ quibuſdā in locis faciunt nonnulli, qui habent capillitiū & barbam ita in annulos criſpatā ferro candenti: & faciem, collū, manus, ita præter modū ceruſſatas & fricatas, vt id quamcunq; mulierculam dedeceret: imo meretricem quoque, quæ mercimonium ſuum quam primum properat extrudere, & quā maximo poteſt precio vendere. Curandum quoque eſt, ne vel bene vel male oleas. hominis enim honeſti eſt, nec fœtere inſtar hirci, nec paſtillos olere inſtar mulieris aut meretricis. Neq; tamen ætatem tuam dedecere puto ſi aliquādo aquis odoriferis, & ſimplicibus pro tempore aſpergare.

Decorum in veſtitu.

Veſtes tuas, conſuetudini aliorum tua ætate viuentiū, & conditioni tuæ accommodatas eſſe decet, ob cauſas ſuperius tibi dictas. Nō enim in noſtra poteſtate ſitum eſt, communes conſuetudines noſtro arbitrio mutare, quæ ſicuti à tempore proueniunt, ita ab eodem conſumuntur, Interim tamen vſum communē quilibet pro re nata ſibi poterit accommodare. Vt ſi forte crura habeas quā cæteri longiora: veſtes autē curtæ in vſu ſint: curare poteris, vt tua veſtis inter reliquas non breuiſſima ſit, ſed minus breuis. Aut ſi forte ſuras quis habeat vel graciles nimis, vel carnoſas, vel ēt tibias diſtortas, is caligas ſibi cōficiet, non flammei, aut nimis cōſpicui coloris, ne alios ad admirationē ſui defectus inuitet. Nulla tuarum veſtium aut nimis ſplen-

dida

dida eſſe debet, aut præter modũ fimbriata, nę forte aut caligis Ganymedis, aut chlamyde Cupidinis indutus eſſe dicaris, Verum qualiſcunq; veſtis tua ſit, debebit ea cũ decoro, corpori tuo accõmodata & habilis eſſę, ne alterius forte veſtibus accõmodato acceptis, indutus eſſe videaris, & ante omnia conditioni tuæ reſpondere, ne ſcholaſticus aliquis more militis, aut miles inſtar ſcurrę amictus ſit. Cum Caſtrucius, quidã dux Lucenſis & Piſtorienſis, Comes Palatinus, Senator Romanus & præfectus prætorio, vna cum Cæſare Ludouico Bauaro, magna cũ gloria & honore ſuo Romæ verſaretur, ſuumque ſplendorem & magnificentiam aliis quoq; teſtatam facere cuperet: veſtem holoſericã murice ardentẽ fieri ſibi curauit, in cuius parte anteriore aureis literis hoc ſymbolũ eſſet intextũ, VT DEVS VVLT, ITA EST: & à tergo alterum hoc ſimilibus litteris, ET VT DEVS VVLT ITA ERIT. Quod quidem amiculum, ſicuti teipſum intelligere hoc puto, magis tubicinẽ Caſtrucii, quam ipſum Caſtrucium decuiſſet. Et quantumuis Reges omni lege ſoluti videantur, tamẽ non omnino auſim hàc in parte laudare Regẽ Manfredum, qui viridi ſemper veſtitu vtebatur. In hoc igitur incumbere debemus, vt veſtes non ſolum corpori, verum conditioni quoque gerentis, & regioni inſuper, in qua viuimus, ſint accommodatę. Sicuti enim aliis in locis aliæ ſunt menſuræ & pondera, cum tamen venditiones, emptiones & commercia locum

Caſtruci ineptia.

habeāt vbique:ita diuerſis in regionibus diuerſæ quoq; ſunt conſuetudines, quibus omni in loco quilibet vti & prudēter ſe iis accommodare poteſt. Plumæ quibus nobilium Neapolitanorum & Hiſpanorū capita diffluunt, eorumque ceremoniæ, ſolēnitates & veſtes acu pictæ, male conueniunt habitui hominum grauiū in ciuitatibus, aut ſcholis, multo minus gladii & loricæ locū apud hos habebunt. Sicuti etiam id quod Veronæ forte hac in parte conſentaneum eſſet, dedeceret plane Venetiis. Iſti enim prætextati, plumigeri, & armati, non congruerent illi Venetorum vrbi, vſq; adeo venerandæ, pacificæ, & moderatæ. Imo videntur illi veluti vrticæ & lappæ eſſe, in hortulo floribus & herbis lectiſſimis conſito. Proinde parum quoq; accepti ſunt in cōſeſſu virorum nobilium, cum alterius quaſi formæ eſſe videantur.

Inceſſus. Vir quoq; honeſtus in via nō curret, aut nimium properabit. id enim non viri alicuius primarii eſt, ſed curſoris, præterquam quod inter currendum quis defatigatur, ſudat, & anhelat, quæ omnia talem perſonam dedecent. Neque tamen iccirco inceſſus ita lentus & teſtudineus eſſe debet, neque etiam ita inſolens & affectatus, qualis eſt fæminæ alicuius primariæ, aut ſponſæ. Vacillare quoq; inter eundum, & paſſibus amplis ſeipſum quaſi dilatare, ineptum eſt. Neq; manus pendulæ eſſe debent, neq; brachia in hanc vel illam partē iactari, aut proiici, vt fruges ſerenti ſimilis eſſe videare. Neque oculis in alterius, faciem

elem defixis,tanquam admirabundus,eum intuebere.Sunt quoque nonnulli,qui dum incedunt,inſtar equi pauidi, ita alte pedes attollũt, vt eos ex medimno educere videantur.Nõnulli pedẽ terræ ita fortiter eoque cum ſonitu impingunt, vt plauſtrorũ ſtrepitus vix maior eſſe poſſit. Hic pedes in obliquum impellendo quodammodo calcitrat,ille tibias inter ſe collidit.Alius ad vnnmquemque paſſum caligas attracturus ſe inclinat.Sunt quoq; qui motu clunium indecoro inceſſum fractum,& quaſi anatinum præ ſe ferunt.Quę omnia non tanquam valde,ſed tanquam paullulum inconcinna,diſplicere ſolent.Quod ſi equus tibi eſſet, habens os patulũ,è quo lingua illi propenderet, etiamſi id forte de bonitate illius nihil detraheret, tamen alias pluris æſtimaretur,& tu hoc ipſo nomine multo minoris eum venditurus eſſes:non quod propterea minus animoſus & fortis eſſet, ſed quod minus elegans,& venuſtus.Si igitur in animantibus quoque,imo etiam rebus animo & ſenſu deſtitutis elegantia & venuſtas in precio ſunt, (ſicuti videmus duas ſæpe domos æque bene ædificatas & inſtructas eſſe, quarum, vna tamẽ altera vẽdibilior,&maioris precii eſt, cum ſymmetriam habeat cõuenientem, quam non habet altera)quanto magis inter homines eæ vſurpari & magnifieri debent. Inciuile inter accumbendum eſt, partem aliquam corporis quamcunq; ſcabere:quin etiam eodẽ tempore, quantũ fieri poteſt,non eſt expuendum, aut ſi

ſpuere & emungi. omnino faciendũ id ſit,fiat decenti quodã modo. Audiui ego aliquoties olim gentes quaſdã adeo ſobrias eaque corporis ſiccitate ob crebra exercitia fuiſſe,vt nunquã omnino vel ſpuerẽt, *Ingluuies.* vel emungerentur. Cur igitur nos tam breui temporis ſpacio ſputum cõtinere nõ poſſimus? Cauendum quoq; eſt, ne cum quadam vorandi ingluuie ita auide cibos ingeramus, vt ex eo vel ſingultus,vel aliud quidpiam viſu & auditu indecorum oriatur.Sicuti ii faciunt,qui inter epulandum ita properãt, vt flatu & anhelitu ſuo omnibus qui adſunt,moleſti eſſe cogantur. Similiter indecens eſt,mappa vel linteolo dentes fricare,vel etiam idipſum digitis conari,admodum enim hoc deforme eſt.In præſentia quoq; aliorum,os eluere,aut vinum quo id feceris exſpuere,indecorum eſt. *Denti-ſcalpium.* Menſis quoque ſublatis dentiſcalpium ori inſertum , inſtar auiculæ nidum cõſtituentis,circum ferre , aut idipſum ſupra aurem tonſorum more reponere, parũ honeſta conſuetudo eſt. Sine dubio quoque ii errant,qui dentiſcalpium ex collo pendulum circumferunt.Nam præterquam quod viſu indecorum eſt,hominem honeſtum tale quid è ſinu producere,& circumforanei alicuius circulatoris imaginẽ repræſentare: etiam hoc ſequitur inconueniens,quod,qui hoc facit , eo ipſo indicat,ſe à ſupellectile gulæ & ventri inſeruiẽre,admodum eſſe inſtructum. Neq; quidquam obſtare video.cur nõ iidem alias cochlear collo alligatum oſtentent. Brachiis quoq; in menſam

ſam procũbere, aut ambas buccas ita cibo implere, vt malæ intumeſcant, plane nõ conuenit. Nullo quoque ſigno aut geſtu indicandum eſt, quod ex edulio aut vino quopiam magnam ceperis voluptatem. mos enim iſte cauponibus & paraſitis eſt relinquendus. Eos qui tecum menſæ aſſident, ad comedendum his vel aliis verbis inuitare: *An ne hodie tibi ipſi ieiunium indixiſti?* aut, *Forte nihil appoſitum eſt quod tibi placeat:* itẽ, Quæſo hoc vel illud guſta: ita inquam inuitare, parum mihi laudabilis cõſuetudo videtur eſſe, etiamſi ea pleriſque omnibus familiaris iam ſit & domeſtica. Quamuis enim inuitatores iſti, eum, quem inuitant, curæ ſibi eſſe oſtendunt, tamen non raro efficiunt, vt inuitatus hoc modo, poſtea in cõuiuio minus liber ſit, & pudore ſuffundatur, cum ſe quodammodo obſeruari arbitretur. Ex patina in medium appoſita aliquid alteri comedendum porrigere, nõ puto admodum decere, niſi forte is qui porrigit, præ altero multo maioris ſit dignitatis, ita vt is qui accipit, eadem opera honore afficiatur. Nam ſi inter æquales hoc fiat, videtur is qui porrigit alteri quodammodo ſe præponere, aliquando etiã id quod porrigitur, alterius palato non conuenit. Præterquam quod ille ipſe indicet, conuiuium non ſatis liberaliter eſſe inſtructũ, aut certe patellas ordine præpoſtero collicatas, cum alter abundet, alter egeat. Fieri etiam poſſet, vt conuiuator in malam id partem acciperet. Nihilominus tamen hic, id quod vulgo fieri videmus,

facienduin eſt potius, quam id quod bene fieri exiſtimatur. Satius enim eſt in hoc genere conſuetudinum cum aliis errare, quam ſolum recte facere. Verum quidquid in hoc vel deceat vel non deceat: tu tamen id quod tibi porrigetur, nõ recuſabis videris enim eum qui porrigit, vel aſpernari, vel reprehendere. Aliis autem propinare; & maioribus poculis inuitos moleſtare, per ſe exſecrabilis conſuetudo eſt, quæ tamẽ ita inualuit, vt nullo vnquã tempore aboleri poſſe videatur. Ab ea igitur tu, tanquam adoleſcens ingenuus, libens tibi temperabis. Quod ſi tamẽ ab aliis inuiteris, poteris non omnino repugnare, ſed gratias agere, & dicere, te libenter illi victoriam cõcedere, aut etiã ſine hauſtu largiori, leuiter quod datum eſt deguſtare. Et equidem iſta propinandi cõſuetudo ſatis antiqua & olim etiam in ipſa Gręcia vſurpata. Magnopere enim ab aliis laudatur Socrates qui integram, quam longa fuit, noctem, cum Ariſtophane certatim quoq; compotando conſumpſit, & tamen primo ſtatim diluculo, albeſcẽte cœlo, demõſtrationem ſubtilis cuiuſdam problematis Geometrici, ſine vlla hæſitatione delineauit, & demonſtrauit, vt ſatis doceret, vinum nullã adhuc noxiam ſibi attuliſſe. Et etiamſi præter hæc affirment, ꝙ ſicut ii, qui ſæpe in magno diſcrimine & periculo vitæ verſantur, eo ipſo fiunt animoſiores & magis intrepidi: quod inquã, eodẽ modo, ii qui ſe non ſine aliquo periculo mendoſis iſtis & barbaris moribus aliquantiſper dedunt,

eorum

eorumq; turpitudinem perſpiciũt, inde poſtea modeſtiores & in moribus elegantiores euadant: & quia immodica illa, certatim bibentiũ, vini ingurgitatio, acer quidam cum viribus potantis conflictus eſt, volunt id fieri, vt hoc modo fortitudinem noſtram expleremus, & ad ſuſtinendum, vincendumque impetus quoſdam violentiores nos aſſuefaciamus. Etiamſi, inquã, ita hac illi diſputent nihilominus tamen ego in contraria ſum ſententia, & exiſtimo has ipſorum rationes ſatis eſſe friuolas. Præterquam quod nonnullos ex literatis reperias, qui ſæpenumero verborum quadam magnificentia efficiunt, vt cauſa iniqua vincat, ratio autem ſuccumbat. Quocirca hac quoque in parte fidem illis nõ habemus. Et fieri forte poteſt, vt illi hoc modo populares ſuos, eo vitio imbutos, excuſare, eorumq; hoc peccatũ occultare voluerint, cum idipſum reprehẽdere periculoſum illis videretur. Forte etiam metuebant, ne idem quod antea Socrati acciderat, ipſis quoq; eueniret. Ille enim cum in aliorum reprehenſione creber eſſet, inuenti ſunt, qui eũ ex odio impietatis, grauiumq; quorundam flagitiorum inſimularent: quocirca etiam capitali ſententia, licet innocens, condemnatus eſt. Vir enim vere bonus & patriæ religionis obſeruantiſſimus fuerat: tametſi eo nomine, quod tantũ vini vna illa nocte biberit, nullam laudem ſit meritus. cupa n. aliqua multo vini capacior fuiſſet. Et quod nihil inde incommodi, perceperit, in cauſa eſt

potius cerebri bene conſtituti firmitas, quã hominis bene morati continentia. Ii certe apud quos plane exulat ebrietas, habẽt, pro quo, tanquam ſummo bono, immortales Deo gratias agant. Neque ego vnquam credidero, quod à vino & ebrietate, egregiis ſane magiſtris, diſci debeat temperantia. Non eſt œconomi, ſuo arbitrio ad cœnam herilem extraneos inuitare: nemo etiam domino inſcio & inuito callide cũ aliis accumbet: etiamſi quidam ex familia ſæpenumero ita ſint impudẽtes, vt id, quod domini eſt, ipſi facere non erubeſcant. Sed hæc magis caſu quodam fortuito dicta à nobis ſunt, quam quod ratio ordinis noſtri tale quid poſtularet. Nemo veſtes ſuas, & in primis caligas, palã, hoc eſt, in pręſentia honeſtorum hominum, exuere debet: id enim illi loco nequaquam cõuenit. facile enim accidere poſſet, vt partes aliquæ corporis, quas natura tegi voluit, cũ retegentis & videntis pudore nudarentur. Neque etiam capillitium pecti, aut manus lauari in aliorum cõſpectu debẽt. hoc enim rectius fit in cubiculo, quã palam, ſola illa lotionẽ excepta, quæ prandium aut cœnam præcedit. Tum enim etiamſi forte opus tibi non ſit, palam lauandæ ſunt manus, vt is qui tecum in eandem patellam intingit, de lotione tua certus ſit. Neque etiam cum capitis integumẽto nocturno in aliorum conſpectum prodibis, neq; caligas thoraci, aliis videntib. aſtringes. Aliis quibuſdã moris eſt, ſubinde os diducere, oculos inuertere, buccas inflare,

Manus lauare.

flare, anhelare, & aliis modis inconcinnis faciē deformare; quos omnino decet ab hac conſuetudine penitus abſtinere. Nam etiam Pallas, vt Poetæ fabulantur, aliquando fiſtula canendo ſe oblectabat, eoq; in genere ad excellentiam non vulgarem peruenerat. Cum autem iſti oblectationi intenta, ad fontem acceſſiſſet, ſeque in eo contemplata eſſet, & inuſitatā illam monſtroſamq; oris ſui habitudinem animaduertiſſet, erubuit, atque è veſtigio tibiam abiecit: & quidem recte. neque enim inſtrumentum hoc eſt fœminæ congruens, imo ne viris quidem, niſi forte viles ſint & nihili, qui mercedis gratia artem illam, quam profitentur, exercent. Quod autem de inuenuſta hac faciei habitudine dico, idipſum in omnib. totius corporis membris locum habet. Indecorum enim eſt linguam exſerere, barbā ſubinde, quod multi faciunt, intorquere, manus inter ſe cōterere & fricare, peculiari quadā cum eiulatione ſuſpiria mittere, febricitantium inſtar, quod nō pauci faciunt, tremere, totoque quaſi corpore cohorreſcere, aut etiam inter pandiculandum, more ruſtici in fœnili euigilantis, exclamare. Is quoque qui in ſignum admirationis, aut etiam ludibrij, ore certum quendam ſtrepitum edit, deformitatis cuiuſdam, quod ipſe animaduertis, indicium præbet. Ea autem, quæ indiciis huiuſmodi adumbrantur, parum à re ipſa differunt. A cachinnis quoq; fatuis, agreſtibus & inſulſis eſt abſtinendum. Neq; ridebis potius quod ridere conſue- *Riſus.*

Pallas fiſtulam abiiecit.

ueris, quam ob ridendi neceſſitatẽ. Neque propter iocos aut dicteria à te ſparſa tu ipſe ridebis: videreris enim tum teipſum laudare. Auſcultātis enim, non dicentis, eſt ridere. Nolo etiam vt tibi perſuadeas, quod, ſicuti eorum, quæ hactenus dicta ſunt, ſingula minuto quodam cum errore ſunt cōiuncta: ita etiā vniuerſis leue quoddam peccatum inſit. Hic enim ex leuib. & multis erratis, magnū quoddā, vt initio quoq; dixi, eſt compoſitū. Et quanto iſta ſunt minora, tanto accuratiore in iis cauendis nobis opus eſt intentione. Neque enim ita facilis eorum eſt animaduerſio. Et ſi negligantur, in conſuetudinem etiam ex improuiſo, tranſeunt. Sicuti autẽ minutę quoq; expẽſæ, ſi crebrę ſint, magnam quoque ſubſtantiam occulte conſumunt: ita etiā leuicula hæc delicta, ſi numeroſa ſint, quaſi ex occulto egregiū quoq; hominẽ deformant. Proinde quæ diximus, nequaquā cū riſu ſunt floccifacienda.

Geſtus inter loquendum.

Obſeruandum quoque eſt quib. quis geſtibus, quo motu corporis vtatur, maxime in loquendo. Sæpe enim fit, vt quis ita in id quod loquitur intẽtus ſit, vt eius, de quo iam agimus, rationẽ plane non habeat. Hic enim capite veluti titubat: ille oculis alios intuetur limis, altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio. Alter os diſtorquet. Alii ſputo ſuo faciem eorum, quib. cum fabulantur, aſpergũt. Inuenias quoq; qui ita manus inter loquendū agitent, vt muſcas à te depulſari videātur. qui omnes modi ſunt deformes & ingrati. Pindarus

quidem

quidẽ Poeta eximius dicere ſolebat, quidquid dulce, delectabile & ſcitum eſſet, id manib. Veneris & Gratiarũ eſſe confectum. Quid iam de iis dicã, qui ex tablino ſuo ad alios prodeunt, calamo ſupra aurẽ prominulo: aut, qui linteolum ſuum dentibus comprehenſum circumferunt, aut qui tibiarum alteram in menſam imponunt: aut qui proprios digitos conſpuunt: itẽ de aliis quæ numerari nõ poſſunt, ineptiis? Quę infinitæ cum ſint, ne ego quidem eas omnes colligere, & hic recenſere conabor: cum alias forte non pauci ſint futuri, qui dicant me in his ipſis, quæ enumeraui, nimium fuiſſe.

Venus & Charites.

FINIS.

IOANNIS CASÆ DE OFFICIIS INTER POTENTIORES ET TENVIORES amicos Liber.

MAGNA omnino veteres, diuturnaque moleſtia caruiſſe mihi videri ſolent: qui non, quomodo nobis fere inſtitutum eſt, ingenuos homines, ſed plane ſeruos in famulatu habuerint: quorum ad victum, cultumque, & cæteras vitæ opportunitates, opera ac miniſterio vterentur. Nam cum hominis natura celſa, amplaq;, & erecta ſit, longeque ad imperandum magis, quam ad parendum accommodata, in eam vigentem atq; integram herile imperiũ, quod nos facimus, exercere qui volunt, ii moleſtum negocium atq; odioſum aggrediuntur. Itaq; veterib. in edomitos iã, & quaſi manſuefactos, quippe quos prius aut compedes, ergaſtulumq;, aut à pueritia vſq; captiuus animus eneruaſſet atq; emolliſſet, neque difficilis, opinor, neque iniucunda dominatio fuit. Nobis contra cum robuſtis, valentibuſque, & tanquam adhuc feris res eſt, qui & propter naturæ ſpiritus dominatum aſpernan-

tur

tur & oderunt, & propter libertatē dominis etiam reſiſtunt: rationem quidem dominationis iniquius interdū, ſæpe tamen iure, ab ipſis heris requirunt & repetunt: ex quo querelarum, expoſtulationum, litium plena ſunt omnia. Sic enim eſt profecto. Nam iniuſti rerum noſtrarū ratiocinatores ſumus: ac, cum ſua quiſque, quā alius æque, bona nimio carius æſtimet, eoque plus in omni ratione ferat expenſum, quam acceptum referat, res conuenire non poteſt. Hinc acerba illa ſane querimonia atque exprobratio: Ego me domi tuæ contriui: contraque, Ego te ſuſtentaui, alui, in honore habui. Quam quidem inter homines cōtrouerſiam, quodq; diſſidium, vt, quantū eſt in nobis, ſedemus & cōponam⁹, à nobis, hoc eſt ab hominis officio minime duximus eſſe alienum. Quamobrem, cū in eam cogitationem ſæpenumero incumberē, præcepta quædam, & tanquam artē de neceſſitudine & cōmunione ea, quæ potentes inter ac tenuiores coniugatur, quæq; ab ea re, quā imitari plurimū viſa eſt, ſeruitutis acerbū ſane nomen inuenit, degenda compoſui, eamq; literis mandare inſtitui, vt labore noſtro, ſi modo, quod cupiebamus, aliqua ex parte aſſecuti ſumus, normam vtrique haberent, ad quam dirigere ſi ſe vellent, iis commoditatibus propter quas eam coniunctionem, quæ ſane vna omnium maxime turbulēta videtur, compulaſſent, placide tranquilleque fruerentur.

Quoniam igitur communionis; ſocietatiſq;

captãs aliquo,ſed ſua ipsũ vi ac dignitate inductos homines virtutis amantes cõiunxit arcte, atq; deuinxit. Tenuiores autem homines cum ſe ad principũ ciuitatis amicitiã applicant:contraq; clari,potentes,opulenti, cũ obſcuros, infirmos,exiles in contubernium ac familiaritatẽ recipiunt, neutri fere honeſtatis decorẽ conſectari,ac ne attendere quidẽ videntur, ſed vtilitatem modo,aut voluptatem ſequi. Id ex eo intelligere licet, quód neq; illi bonos quoſdam viros,iuſtoſue,aut fortes ac moderatos, quibus inſeruiãt,ſed gratioſos,ac lucupletes, ſi vtrũuis liceat,delegerint,& fortunis ditati cõfeſtim,tãquã id operis habuerint,diſcedũt; aut certe cupiunt:atque hi rurſum laborioſum quemlibet, aut induſtrium,& ſolertem, frugiq; exquirunt, eoſq; inſigniori aliqua virtute præſtantib. longe præferũt. Quare,quę de vera illa& germana amicitia præcipiuntur,cũ morum ſimilitudo& conuenientia bonorum animos ſtabili quodã amore & caritate deuinxit, huic neceſſitudini conuenire non poterũt: diuerſorũ n. generum eædem præceptiones eſſe nõ poſſunt; neq; vero eadẽ eſſe genera,quorũ exitus fineſq; diuerſi ſunt. Atq; alia eſt etiam humanarum ſocietatũ diuiſio.nam aut pares inter ſe copulãtur,quales fratrũ coniũctiones ſunt:aut diſpares,cuiuſmodi parentũ eſt,ac liberorũ inter ipſos cõmunitas. Permultũ vero refert ad inueniendi officii rationẽ, vtro quis in genere eã qua de agimus, neceſſitudinẽ conſtituerit: quamquã in prom-

ptu id quidem eſt. ambigi enim nō poteſt, quin ad poſterius referatur. Sed cum fere cōſtet, diſpares hoc amicitiæ genere copulari, illud parū percipiunt, aut certe non ſatis cōſtanter ad extremum vſq; retinent. Stabiliendum eſt enim, firmandumque quid ſit illud, cuius præſtantia princeps in hac neceſſitudine, & tanquā herus cernatur, ne vagari, errareque huius ignoratione cogamur. Principem igitur locū non, vt pleriſque in rebus, ita hoc in genere doctrina, nec ætas nec nobilitas, nec vero virtus obtinet, ſed pecunia modo, & dignitas, & potentia dominatur. Atque hæc quidem vt concurrant omnia, optabile eſt: ſin minus, vel vni deſeruiendū eſt. Satis eſt autem ad hoc argumenti, quod ſæpe vnius conuerſione fortunę, ratio omnis amicitię commutatur, multiq; cum iis, quibus diu, tanquam præfuerint, non modo exæquantur, ſed etiā iis ipſius efficiuntur humiliores: à quibuſq; antea coli ſoliti ſint, eoſdē aut pecunia auctos, aut honoribus amplificatos contra ipſi reuerētur atq; obſeruant. Quamobrem ſit hoc ceterarum communionum, ſi quibus ita videtur, præſcriptum, & tanquam formula, vt, quod in vnoquoq; boni ſit, ſubductum habeant. ac tantidem ſe quiſque faciat, quanti ſit, tantidemq; ab amico æſtimari ſe vel poſtulet, vel patiatur.

Nobis autem alio quodam modo rationem inſtitutam eſſe, intelligendum eſt: pleroſque enim fallit: quorum eſt error tollendus, ne, quod faciunt, turbent omnia. Cum igitur ratiocinabuntur,

buntur, meminerint adnumerari, appendique par eſſe non omnia,ſed pecuniam modo atque potentiam,quando ea eſt hæc ſocietas cōditione cōtracta, vt potentibus, vt locupletibus propter idipſum,quod opulenti ſunt, tribuantur omnia. Quare qui ſeſe paupertatem ferre poſſe non tam negant,quam reipſa oſtendunt, quibus quæſito opus eſt,quique aliena egere ſe fatentur potentia: deſinant moleſti eſſe, neq; ingenium aut nobilitatem, aut doctrinam, quib. rebus,quamquã precioſæ alioqui ſane ſunt, ne ipſi quidē magnopere cōfidunt, magnũ quoddam pondus habere poſtulent, vt comparari ſe propterea, quod iis inſtructi ſint, ſuperioribus, aut etiam ante ferri putēt oportere. At vir ego, inquit,ſum melior,eruditior,nobilior, vna modo re inferior,quæ ipſa nō in virtute poſita eſt, ſed ex fortuna pendet, Sit ita ſane. mitto enim, quod plerumque nimium ſemetipſos diligunt, nimium amplexantur: ſed vt ita ſit, tenendum tamen illud, nihil in hac cōmunione relictum eſſe iis rebus,quas illi commemorãt,loci: principem eſſe pecuniam, imperium obtinere potentiam placuit: accepta ſemel conditio eſt,quę aut tunc recuſanda fuit,cum ferebatur, aut nę nunc quidē improbãda. Fuit olim apud Æthiopas lex, vt eum regem facerent, qui proceriſſimus reperiretur. Num igitur Philoſophus, breuis ſi forte fuerit,atque Æthiopiæ regnum affectet,non ea lege puniendus ſit? Atqui ſapientia proceritati, omniq; corporis ſtaturæ longe

antecellit:nemo negat id quidem:ſed ea tamen Æthiopes lege viuunt,quã violare ſit nefas : ſic nos eam ſeruare legem debemus, quam nobis, quaſi populo,vſus,vitaque communis promulgauit,& tanquam ſuaſit,quamq; adeo ipſi ſanximus. Tantum enim abeſt , vt quicquã adſcribendũ cuiquã ſit,præter id , cuius haberi ſemel rationem placuerit,vt ſępe idipſum,adiectis iis, quæ plurimi alioq ſunt,vilius efficiatur. vt meretrix pudore deterior eſt: ad quæſtũ enim eius æſtimatio refertur,quẽ pudor , quanquam laudabilis ipſe per ſe,tamẽ imminuit:petulãtia vero,tametſi ſua ipſa vi naturaq; turpis auget. Neque vero aliam ob cauſam quibuſdã in ciuitatibus inſtitutum eſt, vt eximia quadã virtute ciues populi arbitrio innocẽtes relegarentur,iſq; mos ab Ariſtotele (quãto qualiq; philoſopho?) non admodum improbatur,niſi,quod cum vna æquabilitate res eorum publica contineretur, omne,quod emineret,cuiuſcunque tandem id modi eſſet,amputandum,& tanquam complanandum cenſebant:vt ne virtuti quidẽ , ſeſe nimium attollenti,parcerent. Quare diuitiæ tantum atq; opes in ea re cenſenda atq; æſtimanda ponderentur,quibus ſemel principatus & dominatio data eſt. reliqua circũcidãtur:his ſe virtus,nobilitas,doctrina ſubmittat:hoc qui recuſant (magnus eſt autem numerus) ſeditioſi vt in Republ.ciues,ſic in amicitia turbulenti exiſtimandi ſunt. Vinciuntur igitur neceſſitudine hac longe potentia ac diuitiis diſpares: vinculum

lum autem eſt non caritas,ſed vtilitas.ex quo illud conficitur,quod antea quoque dictum eſt à me,errare eos,qui hanc neceſſitudinẽ, veræ illius,iuſtæq; amicitiæ legibus temperari putant. Nam hoc quoque genus importunum eſt, magnam quandam æquabilemq; beneuolentiam atq; ardorem amoris requirentium. diſtinguẽda ſunt enim neceſſitudinũ genera, ne temere omnia ab omnibus expectentur. quibus enim ſua cuique priuatim vtilitas propoſita pene ex conuentu ſit,eos noſtra cauſa tantũ velle putare,vt alienum cõmodum anteferant ſuo temere optantis eſt,non conſiderare iudicantis. Neque vero eadẽ vtriſq; propoſita vtilitas eſt, ſed operam atq; obſequium à tenuioribus potentes expetunt:inopes cõtra à diuitibus atq; honoratis pecuniam,aut dignitatem.Illi enim,vtpote diuitiis affluentes,nullum ſequũtur emolumentum,ſed id modo attendunt, quod eã ſibi cõiunctionem ad dignitatis ſplendorem honorificam,ad victum autem, cultumq; atq; res gerendas,cum iucundam,tum vero multis ſane locis peropportunam eſſe intelligũt.Inferiores autem propter paupertatem,atq; inopiam, pecuniæ fructum aut dignitatem quærunt: tum propter imbecillitatem factioſos opulentoſq; amicos,ſibi tanquã adminiculum,parant.Quibus ita conſtitutis,quoniã expedit cũ vna quaque in re eum nos bene cognitũ habere, qui cũ negotiũ nobis futurũ ſit,tum in huiuſmodi neceſſitudine,vel in primis refert non ignota no-

bis eſſe eorũ, quib. cum viuimus, ſtudia & voluntates, vt vel ad eas nos dirigamus; vel rẽ totã, ſi modo fieri poſſit, repudiemus: operæ precium eſt locupletum ac potentium, contraque tenuium atq; inopum naturam, & tanquã formam quandã, & ſpeciem, quoad poſſumus, inueſtigare, in medioque ponere. Neq; vero exquiſitam quandã ad rationẽ exigi hæc à nobis debebunt: quoniam nec omnibus æque in rebus ſubtilitas quærenda eſt, nec vero poſtulandum, vt preſſius agatur, quam ipſarũ, quæ ſubiectæ ſunt, rerum vis & natura patiatur. Ac locupletes quidẽ ita fere ſunt morati, vt ſuperbia & faſtidio efferantur; perinde enim affecti viuunt, quaſi bonis omnib. affluant: & quoniam, quanti vnumquoq; ſit, æſtimari fere nummis ſoleat, eaque ratione argento venire omnia, quia eo ipſi abundent, omnium penes ſe rerum precium eſſe opinantur: itaque beati ſibi videntur. Ad hoc accedit, quod homines magnam partem in re facienda atq; exaggeranda occupatos, diuitiiſque inhiantes vident. Quare illarum poſſeſſione, tanquam excellenti inter homines bono quodam, quod vnum expetant, quodque admirentur omnes, ipſi gloriantur; reliquos autẽ deſpiciunt, nec homines putant: quæ quidem arrogantia inſolentiaque ea quoque re augetur plurimum, neque adeo immerito, quod multos multa locupletẽ rogare neceſſe eſt: tum arbitrãtur ſeſe dignos eſſe dominatu, propter copias enim, quib. ipſi affatim præditi ſunt,

ſunt, dominationem, regnumq; expeti putant. Glorioſæ itaque, atque inſolentes diuitiæ ſunt: eædem petulantiā habent, ſuperbiæ comitem: difficile eſt enim, niſi ſi forte ratio adſit, prudētiaque, ſecundo fortunæ curſu non auferri. Eorundē eſt diffluere luxuria: nam & delicati molleſque ſunt, & copiarum oſtentatione beati videri volunt. Ad ſummam, ſtulta pecunia eſt, ſed fortuna, & fœlix. Præterea autē multo hæc ſunt eadem nouis in diuitiis deteriora, quā vt in veteribus vitia: repēte enim diuites facti, ſunt abundandi, vt ita dixerim, imperiti, vt pleriq; Romæ. In quo ſi qui fortaſſe fuerint, qui detrahi ſibi à nobis querātur, ii meminiſſe debebunt, non hunc nobis de hominibus, ſed ipſa de re inſtitutum eſſe ſermonem. Potentium autem mores partim cum locupletum natura & conſuetudine congruunt, partim aliquanto ſunt etiā probiores: nam & honorum ſtudium in his eſt, & animus virilis, atq; ad agendum promptus: prębet enim potentia facultatem, & propter dignitatem grauitas quædam ineſt. Ac de locupletum quidem, ac potentium moribus hactenus. In paupertate vero atque inopia, omnia iis contraria reperientur.

Sic igitur animati erga potentes & pecunioſos, tenues amici eſſe debebunt, vt illorum incommoda, contumelias, iniurias, ineptias non modo facile perferant, ſed amanter etiam tegant: eoſque, quoad fieri poſſit, diligant: colant quidem certe omnibus locis, atque obſeruent.

diligi enim volunt, propterea quod exiſtimant; à quibus amentur, iiſdem ſeſe probari. Itaque cum omnia ſibi diuites arrogent, amicorũ obſequiis, atq; obſeruantia magnopere delectantur, ſui enim de ſe iudicii habere eos aſcriptores putant. Difficile eſt autem diligere eum, quem non probes: nihiloque factu facilius ſic moratos, quemadmodum dictum eſt, probare. veruntamen, vt ait Tireſias ille:

Quando pauperiem miſsis ambagibus horres,

deuoranda hæc ſunt, ferendumque æquo animo, quod corrigere nequeas: præſertim cum non virtute & probitate hæc neceſſitudo contineatur, ſed emolumentis, & fructu. Stulte igitur faciunt, atque inutiliter, qui, tanquam Horatianus Dauus, decembri in dominos abutuntur libertate:

Tu, cum ſis, quod ego: & fortaſsis nequior.

pernicioſa enim hæc ſunt, præſertim aduerſus potentiam, ſuperbiamque. Quare non modo dici, proferrique hæc nõ expedit, ſed ne cogitari quidem ſine detrimento poſſunt: retrahunt enim nos ab obſequio & cultu potentis amici; ſine quo contineri neceſſitudo hęc diutius non poteſt. Nõ minus eſt autem eorum vitium, damnum certe idem, qui de ſuperioribus amicis in omni ſermone abſentibus detrahunt, eoſque quos reuereri & colere non modo decet, ſed etiam fructuoſum eſt, lædunt. Itaq; dupliciter accuſandi ſunt, & ꝙ ab officio recedunt, & quod eorum cũ factis minime conſentit oratio: cum

eo enim

eo enim re viuunt, quem ſermone improbant. Superbi etiam atq; arrogantes monendi ſunt, atque, vt ab hoc ſtudio deſiſtant, hortandi: nam nihil obſequio atq; obſeruantiæ tam eſt aduerſarium, quam arrogantia: obſeruamus enim & colimus, quos inſigni aliqua re antecellere nobis putamus: omnia autem ſibi qui arrogant, nę illi longe abſunt vt cuiquam obſequi velint. Ac ſunt omnino quidā nulla de re tā ſolliciti, quam vt ne cuiquam ſuccumbere, aut quicquam cuiquam cōcedere videantur; ii ſeſe inferiores appellari, mortis inſtar putant, pauperiores tantū dici volunt auſteri, triſtes, duri, omnia ſummo iure ſeuere agentes, atque acerbe; qui ſi appellentur modo, continuo ad calculos abeant, cōfeſtim ſua atque aliena digitis metiantur: rationem ſubducant, à qua ne punctum quidem cuiuſquā cauſam decedere ius eſſe arbritentur: ii, vt antea dictum eſt, ad aliud ſtudium traducendi ſunt, ne ætatem ſollicite anxieque degant, & ea exacta, fruſtra, quod nihil proceſſerit, fortunam quod facere ſolent, accuſent, cū ipſi in culpa ſint. Nobis autē leni homine opus eſt, molli flexibilique ingenio prædito, qui & de ſuo iure decedere didicerit, & parere fortunæ: idq; animo hilari, aut certe ęquo facere poſſit, vt nō appareat coactum obſequi: nemo enim, quem colit, illi inuitus obtemperat. Quoniam igitur ſuperbię occurrendum eſt, nihil eſt autem ad eam molliendam ac demulcendam valentius obſeruantia atq; obſequio, in eo exiles atque inopes

amici elaborare debebunt, vt in ſuperiores o-mne officium, omnemque cultum conferant: id partim in dictis apparebit, partim in factis. In ſermone igitur & congreſſionibus non modo comitas & ſuauitas adhibenda eſt, ſed quædam etiam reuerentia: aſſentatio autem, de qua mox dicetur, procul amouenda. Permultum vero id refert: nam neque quicquam eſt, quod tam crebro incidat, quam vt loquamur, & ad cōciliandos hominū animos ſumma in oratione vis eſt. Illa igitur primū cautio adhibeatur in verbis, vt ſummiſſa, vt humilia ſint, vt prope abiecta: blādum enim in ſeculū incidimus, cuius in errore nihil eſt, cur verſari nos cū reliquis pudeat. contumax eſt nō modo monere, ſed etiam conſiliū dare: reprehendere vero non ferendum. Longum eſt autem ſingula perſequi. Quare genus ipſum indicaſſe, ſit, opinor, ſatis. Deinde repugnandum, ſi qua in re forte fuerit, vt pedetentim timideque fiat, & tamen & raro, & non niſi neceſſario: neq; enim eſt obſequentis aduerſari: ſæpe autem in congreſſionibus, aut in conuiuiis diſputationes inducuntur, incertis aut ſubtilibus de rebus: in quo docti quidem homines, & ingenioſi, facere ſane imprudenter ſolent: arripiunt enim ipſi tanquam ſuo iure ſermonem, obloquuntur, interturbant, pertinaciter reſiſtunt, redarguunt deniq;, idque acerbe, atq; acriter: non ſunt hæc obſeruantiæ, aut obſequii ſigna. At non mea, inquiunt, culpa eſt, quod homo rudis, atque illiteratus, & fortaſſe

hebes

hebes, de rebus obſcuris atque inuolutis balbutiens me laceſſat, irritet, in contentionē vocet, præſertim eam ipſam artem; ad quā diſputatio pertineat, profeſſum. ſed parcendum tamen eſt, quaſiq; cum amico lucteris, non cum aduerſario; non eſt viribus vtendum: ſcitum eſt enim in loco cedere; aut ſuccumbere: victoria vero ſæpe perniciē habet: ex quo vetus illud: *νίκη καδμεῖα.* At difficile eſt, inquiunt, præſertim concalefactis iam altercatione animis, tum in eo ipſo quod profiteamur, cuiquam nos cedere videri, pati non poſſumus. Ego neque hoc diſputo, &, ſi poſtulant, etiam concedo: illud teneo atque denuncio, inutile id illis eſſe, plane etiam perniciosum. Quare ſuperbiam excutiant, animum molliant, aut amicitiam ſeſe gerere neſcire fateantur. Diligenter etiam caueant, ne quando committant, vt cum potenti amico iocari aggrediatur, niſi ab eo ipſo inuitati, ac prope iuſſi: ineſt enim in ioco æquabilitatis ſignificatio, & ſecuritas quædam, qua ſuperbia irritatur: cauillationem autem, & dicta ſuperiorum, quanquam habebunt ſæpe aculeum, & contumeliam, hilaritate & lepore excipiant: iracundiam, ne qua forte erumpat, (efferueſcet enim illa quidē) quam diligentiſſime poterunt, comprimant: ac, ne ſi acrius quidem pupugit, quicquam mordere audeant: neque enim eſt obedientis, doloris ſui pœnas perſequi. quo autem cuiquam vberius erit ingenium, atque acutius, eo difficilius is pręſtare hoc poterit: multa enim

occurrent falſa, quæ vix reticebit. Eſtque omni-no haudquaquam mediocris patientię, cum ſæpe vapules, telum autem ſemper teneas, nunquam referire: ſed iracundia tamē perquā diligenter cohibenda eſt, neque cum ſuperiore, ne iuſta quidem de cauſa, concertandum: nam & victi oderūt, & pares cum diſcedunt, tamē vinci ſe putant. Itaq; alio ſeſe conuertunt, & eos quorum tractata ſemel læſit aſperitas, in poſterum nō attingunt. Quo autem modo iucunda conſuetudine, aſſiduiſque ſermonibus, & comitate ſuperbia mollitur, ita ſilentio, ſeueritate, & triſtitia recrudeſcit: tum ſtultum eſt, quorum contumelias perpeti neceſſe habeas, eorum nō ferre iocos. Quare ita ſeſe tenues comparare amici debebunt, vt potētis vel immoderatam in iocando licentiam, non modo bonam in partem accipiant, ſed etiam, quo familiarius tractentur, habere ſe gratiam ſignificent. Reliqua vero in vitæ conſuetudine ea moderatio adhibeatur, vt in ſermone plurimū hilaritatis, plurimum & feſtiuitatis inſit, nō effuſæ, ſed ad voluntatem nutumq; diuitis amici omnis oratio temperetur: triſtitia vero, & taciturnitas abſit, quæ minime amabiles, & plerunque inuiſæ, ſuſpectæq; ſunt: quos enim triſtes animaduertunt, iis ſe ſuſpicantur nō ſatisfacere. Præcidatur etiam loquacitas: eſt enim reuerentis adhibere modum. Neq; vero ſermonem ipſi priores indicant, niſi ſi forte iuſſi ſint aliquid in medium, cōſumendi otii cauſa, vt fit, proponere: ad ſuperiores enim

him pertinet iudicare, qua potiſſimum de re velint audire, neque immeritò is arguitur, qui præfeſtinet, vbi herus adſit, præloqui.

Quod autem dictum à me eſt, procul ex hac conſuetudine amouendam aſſentationem eſſe, videamus, quam vim habeat: nõ ſum enim neſcius, ſecus à pleriſque ſolere præcipi: qui cum adulationem vnam omnium rerum fructuoſiſſimam eſſe cõtendant, facile permultos nominãt haud magni precii homines, qui vna aſſentatione adiuti, non modò diuitias pararunt, ſed ad ſummos etiam dignitatis gradus irrepſerunt. ſed, quanquam ab vtilitate profecta hæc ratio eſt, non debebunt honeſtatis & iuſtitiæ obliuiſci. Itaq;, ne quid turpitudinis, lucri cauſa, contrahatur, operam dabunt, tuebunturq; iuſtitiã, ſi non ſummam illam bonorum, at hanc popularem ſaltem vulgi: etenim vnum pecuniæ fructum ſequi ſi voluimus, neque honeſtatem audimus, eos ipſos ſuperiores amicos ſpoliemus licet, aut aduerſariis prodamus. Cauendum eſt igitur, quamquam ab vtilitate profecta hæc ratio eſt, ne longius ſi progreſſi erimus, iuſtitiæ fines tranſgrediamur. Quod eſt autem, quod ab honeſtate longius abſit, quam aſſentatio & blanditia? quarum cura & nutrimentis hominum educentur, ſæpe etiam gignantur, & procreentur vitia Metue igitur,

Scurrantis ſpeciem præbere, profeſſus amicum.

Finitima eſt autem obſequio blanditia: tum in vnaquaque re difficile eſt ſtatuere quatenus?

ſunt enim vitia cum virtutibus prope continẽtia, aut ita certa inter ſe coniuncta, vix vt appareat commiſtura: ſed quædam tamen eſt regula, qua vti qui volent, neq; à probitate diſcedent, & vtilitati tamen conſulent. Eſt igitur in congreſſionibus ſermonis quædam temperatio, & modus, quam quidem virtutẽ cum ea vocabulo carere videretur, ab amicitia mutuari; φιλίαν Peripatetici nominauerunt: quod eius compotes qui ſint, talem ad omnem congreſſum, humanitatem, affabilitatemque adhibeant, qualem adhibere inter ſe amici conſueuerint. In eo autem poſita eſt, vt neque omnia ad voluntatem loquamur, & petulantia tamen abſit, & triſtitia, auſteritaſque vitetur. Ad eam autem mediocrem retinendã, permagni refert, quo cum loquare, quique ipſe ſis. Id quale ſit, vt pleraque omnia, in iis animaduerti maxime poteſt, qui, longo quodã interiecto tanquã interuallo, inter ſe diſtant, vt in parẽtibus, & liberis, vt in priuatis, & iis, qui ſunt in magno aliquo imperio: quæ enim in priuatum cõmode dicta exiſtimãtur, eadẽ in magiſtratum collata, petulantię habentur non ferendæ. Ac parentes quidem obiurgare flagitium eſt, magiſtratum nefas, parem vero non dedecet. Hanc in ſermone mediocritatem retinere hic noſter vel mordicus debebit: lubricus enim locus eſt, vt neque ad aſſentationem delabatur, minimeque ſit amarus, aut agreſtis. Id autem, niſi quid me fallit, ea ratione efficere non incommode poterit, ſi, quæ ſupe-

ſuperiore in amico probāda erunt,ea & ſuo loco,& pleniore etiam aliquanto,vt dicitur , ore laudabit,peccata vero nō attinget omnino : ad pares enim amicos monitio, atque obiurgatio, non ad inferiores pertinet. Qui vero ea laudāt, quæ non probant, improbi hominis fungūtur officio,& vani,ac fallacis,& fraudulēti. Omnis autem ſermo verecundiæ plenus eſſe debebit: non modo,quia ſic omnino bene moratos decet,ſed quia ſecuritatem etiam petulantia prę ſe ferre videtur. Abſit igitur obſcœnitas: terræ etiam,immundæque res ne appellentur , ſingulisque cum dictis tum factis ſignificatio quædam inſit,non negligere tenuem amicum , qui de ſe ſuperior ſentiat. Prouideant etiam, vt geſtus, motus,inceſſus,ſtatus,ſeſſio,accubatio,manus, oculi,vox,non ineptiis modo vacent ; eſt enim id alius cuiuſdā diſciplinæ præcipere : ſed vt reuerentiam quandā erga potentem amicū , cultumque indicent.Remoueantur igitur cachinni,& clamores,& palæſtrici quidā motus , tum oſcitatio frequens atq; excreatio,reliquaque id genus quæ ſoluti liberique ſunt animi, ad amicorum æquabiles congreſſiones reſeruentur. Veſtitus etiā ratio habeatur,vt elegans, vt mūdus,vt aptus ſit:volunt enim oſtentatione diuitiarum,quemadmodum dictum eſt,beati videri:tum ad luxuriam pertinet , quorum vtantur miniſterio,eos non agreſtes,nec ſordidatos habere,ſed elegantes,& ornatos.

Quamquam autem in ſermone plurimum

cultus obſeruantiaq; elucet, permultum tamen etiam in factis apparet. Quamobrē ſuperioribus inferiores præſto ſint, obſequātur, obtemperent, neq; re tantum ipſa, ſed etiam ſignificatione quadam, & ſpecie: nihil enim neceſſe eſt tantas amicorum cateruas domi alere: ad speciē comparantur, & pompā. Quare ne hæc quidem negligant: adſint, aſtent, ſectentur, aſſiduitatem præſtent, moleſtiam caueant: neque ſic cogitent, non haſce ſibi datas eſſe partes, ſed certum quoddam munus aſſignatum: ſunt enim communes inferiorū omnium amicorum. Qui vero cūctatur, qui tergiuerſantur, & ceſſant, perniciosum genus in hanc communionem inducunt: parce enim ac reſtricte munus ipſi ſuum cum exequuntur, potentem amicum prope admonent, vt benignitatem ipſe quoq; ſuam contrahat, ac minutatim, exigueque præbeat omnia. In rebus autem gerendis, curandiſq; mandatis, primum fides integritaſq; præſtanda eſt, non modo quia decet, rectumque eſt, ſed quia fructuoſum eſt etiam: quos enim fideles experti ſunt, iis ſeſe totos committunt, & tradunt, eoque bene etiam illis facere coguntur. Deinde cura, & diligentia, & ſolertia, quaſi in re propria adhibeatur, maior etiam ſi fieri poſſit: quo difficilior eſt cura rerum alienarum. Sed hæc communia ſocietatum omnium: illud huius coniunctionis eſt proprium. Neque enim, quod commodiſſimum, aptiſſimumque quaq; in re fuerit, ſpectare debebunt, ſed illud modo atten-

attendere, quod maxime potenti amico probetur: id quod vna in re notatum ad reliqua omnia transferri poterit. Qui igitur vllo fere in gradu dignitatis locati ſunt, homines eruditos atque in ſcribendo exercitatos ſeorſum parant, qui de omnibus rebus, quæcunque inciderint, epiſtolas componant, vt eæ ſuperiorum amicorum nomine reddantur: ii perſæpe ea præcepta ſeruantes, quę magno labore didicerunt hominibus illiteratis, à politaque & accurata oratione abhorrentibus ſuas lucubrationes non probant: optima quæque aptiſſimaque inducuntur: omnia peruertuntur, retexuntur omnia. Quid igitur eſt tui conſilii? illud ſcilicet Euripidis de Phœniſſis:

Potentium ſtultitia perferenda eſt:
Et (quanquam difficile factu eſt)
Vna cum inſipientibus deſipiendum.

Vnam igitur habebunt non ſcriptorum modo, ſed etiam actionum omnium regulã, potentis amici voluntatem, ac iudicium: ad eam ſe formabunt, eaque metientur dicta, factaq; omnia: neq; vero perpendent, quam recta ſit, aut praua, ſed tantum elaborabũt, vt eam bene cognitam obſeruandoq; notatam habeant: dabuntque operam non vt recte, ſi quid mandatum eſt, curent, ſed ad voluntatem ſuperioris amici apte atque accommodate. Itaque inferior amicus imperium herile diſcat, vt ꝙ frons velit, oculi ſciant. Hæc fere ſunt inferiorum partes atque officia amicorum, vel ſtirpes potius quę

dam atque initia, è quibus ea orta, ac profecta ſunt: expoſitis enim generibus, ſingulas tamen ſecare ac perſequi partes, cum infinitum duximus, tum vero etiam minime neceſſarium.

Locupletibus vero & factioſis multo, ne errent, huiuſcemodi præceptiones attẽtius audiendæ, retinendæq; ſunt: eſt enim potentia, niſi ſi quis artem, hoc eſt rationẽ adhibeat, ipſa per ſe licentior. Itaq; ſolutam eam ac liberam paulo ſi diuitius ſiueris, vbi ſe corroborauit, exultat, effrenateq; effertur, ac ruit. Quid enim mereat quis, vt nonnullorũ, quos ſignificari à me, quam nominari eſt æquius, immanẽ ac barbaram ſuperbiam ferre velit? qui quidem eo vſq; ſunt odio digni, nihil vt mirũ ſit, ſi abiectiſſimi quoque homines egeſtatem, vel ſummam perpeti malint, quam eos nõ modo ferre, ſed ne aſpicere quidem. At tenues, atq; inopes, ſatis ab ipſa neceſſitate, quod ſui ſit officii, admonẽtur: &, ſi quid tamen peccent, ſane haud deeſſe corrector poteſt. Statuant igitur diuites ſe quoque legem tenere: quando patrium etia ius quibuſdam quaſi cancellis natura circumſcripſit, quos tranſire nefas, impiumq; ſit: nec quos fortuna atque opibus anteeunt, eos tanquam deſertos omnino, ac neglectos, pro nihilo habeant: nec vero abiectiſſimum quoddam obſeruantiæ genus, cultumque ſeruitio proximum omnes ab omnibus requirant: dilatantur enim interualla, contrahunturque, quibus alii alios præcurrunt. Ad eorum igitur magnitudinem,

& ſpa-

& ſpacium tenuium officia amicorum referantur:neq; enim par eſt ſuperiorum omnium præſtantia.Itaque Deum (plurimum enim inter ſe diſtantibus in rebus id, quod monſtrare volumus,apparebit maxime) Deum igitur veneramur,& colimus:homo autem paullo locupletior ſacrificium ſibi quoq; ad aram fieri ab inopi amico ſi poſtulet,inſaniat: ne claros quidem atq; illuſtres ciues pari obſeruantia colimus, ac Perſarum regem. Vt igitur inferioris partes ſunt,obſequium vt præſtet non grauate, ſed libenter,nec ſemper monitus,ſed ſæpe vltro ; ita ſuperioris contra eſt officium,eorum ſedulitate nec abuti,nec acerbe obſequium exigere: ſicq; cogitare,amicorum vti ſeſe opera ſi nō gratuita,ac voluntaria,at certe libera, non autem ſeruis imperitare:liberi enim ſunt,nec lege tantum (nam id quidem perſpicuum eſt) ſed etiam natura:ſiquidem is natura ſeruus eſt, cuius vnum eſt,aut certe præcipuum,in corporis,membrorumque vſu poſitum munus, quique ita rationis eſt particeps,illam vt ſenſu percipiat non ea ipſe vt præditus ſit,ii autē, quos iamdudum inferiores amicos appello,non vt operarii quidā, ac baiuli,membrorū robore,ac lacertis,ſed potius induſtria,& ingenio,& rerum vſu , animi denique viribus,nō corporis commendantur. Liberi igitur ſunt:verum conſuetudo atque dicendi mos famulatum, vt antea quoq; dictum eſt,triſti ſane verbo , coniunctionis huius neceſſitudinem nominauit : ſed idem tamen

mollliuit. etenim vel ſuperiores qui ſunt amici apud eos,quos diligunt, quamquã tenues ſunt, ſeruitutem ſeruire ſeſe,quia ita mos eſt dicendi, dicunt;vt iam beneuolentiæ id, obſeruantiæq; nota,non ſeruitii vocabulum ſit.Sed verum inueſtigãtes de rebus,opinor,potius, quã de nominibus ſollicitos eſſe oportet. Nam quamdiu veteribus ſeruos bella ſuppeditarũt, nec habere eos lege prohibitũ eſt,nihil magnopere fuit, cur liberorum opera & miniſterio vterentur. Itaque nihil mirum,ſi non ſuum propriumq; eſt ei rei vocabulum impoſitum,quæ fere eſſet incognita. Vbi vero & bellica noſtris in hominibus frangi virtus cœpta eſt,atq; hominem religionis ſocium ſeruitute premere impiũ exiſtimatum,veriſimile eſt,vt infimi initio homines mercedula adducti eum facere quæſtum occeperint,vt opulentioribus ſeruorum vice miniſtrarent:deinde vero re paulatim in morem inducta,honeſti quoq; homines eum ipſum quęſtum non ſint aſpernati. Verum ſero viguit hic quidẽ mos,eo ſcilicet demum tempore, cum ii è medio ſublati ſunt,qui ei rei nomen cudere,& tanquam fabricari poterãt.Itaq; in re noua vetus vocabulum quod vſurpemus, niſi quid me forte fallit, non eſt: nouare autem nobis quidem non licet: iis enim hæc tractare conamur vocibus,quæ multis antea ſeculis prope conticueruntquam hæc inuenta communio ſit. Sed nos eo redeamus,vnde digreſſi ſumus. Tenuiores igitur amicos ad famulatum vſque qui depri-

deprimunt(quotus autem quiſq; eſt,qui id non conetur efficere?) ii non modo inhumaniter faciunt,atq; inclementer,ſed etiam iniuſte, ac plane tyrannice. Cuius enim eſt dominatus, in xyſto multas horas quotidie ambulantem amicos adeſſe ad vnum iubere,eoſq; apertis capitib.dextra,ſiniſtra ſtantes ne reſpicere quidẽ? Regibus igitur hæc,atq; huiuſmodi imperia relinquantur;qui vero parem illis pręſtantiã aſſecuti non ſunt,deſinant eorum ſpeciem affectare, ne & ſuis odioſi,inuiſique ſint&irrideantur ab alienis.Nihiloq; clementius illud eſt, cum leui quaq; de cauſa cõtumeliis, conuicioq;, & clamoribus honeſtos ſæpe homines cõſectantur: idq; palam in publico.Quid vos ſeruis faceretis?vt enim ſit impotentium amicorum ferre omnia,veſtrum certe eſt, quantum eos oneretis videre.Nam qui eouſque proterui ſunt,atq; effrenati,vt manus etiam hominibus liberis afferant,eos tanquam deſperatos aliquos coercendos cenſemus,nõ admonendos. Negat Ariſtoteles,vllum eſſe officium,quod in ſeruum, quia quidẽ ſeruus ſit,tueri dominus debeat;ſed quia homines tamen ſerui ſunt,aduerſus eos quoq; humanitatis leges inuiolatas ſeruari cẽſet oportere.Nec vero illud incommode, quod falſus ille Sauria,quamquam ſeruus, & quidem nequam,homini libero reſpondit in iurgio:

Tam ego homo ſum quam tu.

At ii ne liberos quidẽ homines putant, quorum etiam durior eſt, quam beſtiarũ quarum-

dam,apud eos cauſa. etenim quibus equis ipſi vehi cõſueuerunt, eos curari diligẽter ſtudent, neque labore nimio defatigari, feſſoq; recreari, & conquieſcere volunt : hominibus vero quando aut quiſquam parcit,aut medetur, aut vlla in re conſulit?aut quodnam Romæ genus eſt tam omni indignitate atq; iniquitate exercitum,quam potentium tenues amici? ſunt hęc non modo Chriſtianæ caritati atque humilitati repugnantia,ſed ab humanitate quoq; hac cõmuni,longe,longeq; abhorrent. Ne igitur humanitatem fortuna obruat,neque opes, & potentia libertatem coerceant.Difficile eſt autem omnibus in rebus modum non ſolum tenere, ſed etiã,qui ſit,cogitatione inueſtigãtes ſtatuere:variantur enim officia perſonis,temporibus, ætatibus:rerum natura,hominum moribus,locorũ conſuetudine, rebus aliis prope innumerabilibus:quam quidem varietatem vno aſpectu intueri,& comprehẽdere,hominis eſt acute,celeriterque diſpicientis. Nos neque acrius cernere nos quicquam putamus, neque id magnopere nunc quidem neceſſe eſſe arbitramur; ſatisfieri enim huic loco poſſe ſtatuimus,ſi pręcipiemus,vt ea, quæ ſuperius memorata ſunt, retinere velint.Sunt autem duo,vnum, vt amicorum obſequio atque opera tum clementer, & benigne,tum etiam iuſte, hoc eſt congruenter,vtantur:alterum, vt ipſi minime ſint amari,minimeque difficiles ac moroſi. In muneribus igitur aſſignandis,dandiſque negotiis, perſona-

ſonarum ratio & delectus habeatur, vt, ſi quid ſordidius tractandum inciderit, viliſſimo cuiq; mandetur: neque per homines nobiles, quod nonnulli peruerſitate quadam adducti ſtudēt, verrantur ædes, aut è tricliniis conclauibuſque immunditiæ efferantur: laborioſa vt ne imbecillis neue ſubturpia quædā honeſtis, aut ludicra & leuia grandioribus natu imperentur. Nec enim Homerus Phœnicem Achillis iuſſu pocula miniſtrantem facit, hominem ſenem & grauem, ſed adoleſcentem, æqualemque ſuum Patroclum. Illud etiam præſtent, vt nihil omninò cuiquam maioris aut oneris imponatur, aut laboris, aut contentionis, niſi neceſſario, aut certe magna de cauſa: præcipit enim humanitas, vt ne aliena, ſollicitudine & cura, præſertim quæ grauior ſit tanquam animi cauſa, abutamur. Nam ii quoque, qui ſerui plane ſunt, ferre hæc grauiter, ægreque pati ſolent.

Hæc heri immodeſtia coëgit me,
Qui hoc noctis à portu ingratis excitauit?
Nonne idem hoc lucis me mittere potuit?

Ferramenta, & vectes reliquumque inſtrumentum animale habuiſſe Dædalus dicitur: num igitur eum cenſemus, aut quæ terræ eſſent opera, cœlo mandare ſolitum, aut eam ipſam, cum moliendum tamen nihil eſſet, vetuiſſe quieſcere? Hunc igitur imitentur, ſitque imperium in amicos iuſtum & clemens. Qui vero acerbe ab amicis operas exigunt, qui ſemel atq; iterum ceſſantibus ſuccenſent atrociter, qui ſe impla-

cabiles atque inexorabiles præbent, præterquã quod iniuriam faciunt, non amicorum caterui s ſeſe ſtipatos eſſe cogitare debent, ſed hoſtium. Atq; etiam eſt in ſermone & conuictu ſuperiorum comitas quædam vel ſeueritas potius, ſed humanitate & iucunditate condita; qua prędití qui fuerint, eos domeſtici amici, quaſi parentes verebuntur, non autẽ, vt tyrannos, metuẽt, eoſque etiã diligent. Omnes enim, quẽ metuunt, eundem oderunt. Verum pleriq; familiaritatẽ nimiam vitare dum volunt, quod apud eos, qui in cõſuetudinem ſeſe penitus immiſerint, retinere ſe dignitatem vix putant poſſe, contumaces ſunt atque inhumani: Ac fuit omnino Deioces quidam Medus, vir ſapiens imprimis, qui cum propter iuſtitiam, vt apud Herodotũ, rex eſſet cõſtitutus, cum alia multa dicitur habuiſſe ſalutariter inſtituta; tũ illud in primis, quod ad maieſtatem pertinet: quæcunque enim inciderent, tranſegiſſe per interpretem dicitur, vt Medorum audiret ipſe neminem, neq; cuiquam aſpiciendi ſui poteſtatem faceret. Metuebat ſcilicet vir magnus inuidiã: ægreq; laturos ſentiebat ciues ſuos, qui cum pari dignitate tam multos annos vixiſſent, eum ipſum tãto ſibi honore præferri. Huic igitur malo occurri ea ratione putauit poſſe, ſi ſeſe non familiaritati modo, ſed etiam oculis ciuium ſubtraxiſſet: fore enim, vt paulatim ab ea, quam de ſe cogitationem habere ſoliti eſſent, deſuefacti, maius quiddã animo conciperent & mente: ſic eſt enim omnino: nam

no: nam quæ incognita,intractataq; habemus, ea maiora plerumq; animo nobis fingimus, & ſuſpicamur eſſe. Neque vero ego is ſum, qui ſuperiorib. id præcipiam,vt ſeſe inferioris ordinis amicis,quaſi germanis fratribus, patefaciant ac nudent: ſit hoc ſimplicis ſinceræque amicitiæ proprium:ſed, vt hoc non probarim, ita auſteros,triſteſq;,& duros eſſe eos nolim. Recte autem Deioces, vt in Barbaris quidem,dominationeque noua: quamquam multa eum ſecuta eſſe incommoda neceſſe eſt, inprimiſque illud, quod æqualiũ, quod ſuorum, quod ciuium deniq; conſuetudine & conſpectu caruit. Dignitaté igitur potentes retineant, ſed bono modo, audiantque, negotiis curiſq; vacui, domeſticos amicos, & quidem humaniter, benigneque reſpondeant: interdum etiam vltro ipſi appellét, familiariter quoque garriant, dentq; ſeſe ad lenitatem: vt intelligant homines tenues non tamé ſeruiliter ſe tractari. Eſt enim hominis natura minime dominationis patiés,quo magis ſeruitutis ac famulatus ſpecies,quę vt in ſuis appareat,de induſtria quidam efficere ſolent,occultanda eſt atque opprimenda. Sed eſt etiam in nónullis malitia quędam ſimulata comitas,qui, quo diutius amicorũ operis fruantur,gratis homines miſeros atq; abiectos ſpe produeunt, & clementiæ bonitatiſque ſimulatione lactant, vt annorum multorum labores vna cum blanda appellatióne cópenſentur. Tollatur igitur meretricius hic mos, malitiaq; & fraus non ex hac

conſuetudine ſolum, ſed è tota vita pellatur: nec, pecunia fraudare quempiam ſi turpe putamus, vitæ, atque ætatis alienæ fructus intercipere, fruſtrarique per bonitatis ſpeciem homines vel amicos, vel certe familiares, tenues quidem atque inopes, rectum honeſtumque cenſeamus: Callida eſt etiam, malitioſaque eorum interpretatio, qui, quod tenuibus amicis non iniuſte, aut grauiter imperarint, quodque in eos ingenio leni & clementi ſint, vigilias, labores, curas, pericula, damna omnia diſſoluta illis eſſe exiſtiment, affatimq; ſatisfactum autument: quaſi vero id initio ſpectatum ſit, vt obſequium obſequio, ac non pecuniæ fructu, atque emolumentis compenſaretur. Neque enim citharœdum, in epulis qui caneret, iidem ſi cõduxerint, atque is vbi poſtridie mercedem exigat, aſſidere hominem iubeant, audireque ſe viciſſim vel modulatius canentes, non iniuſti ſint: non enim commodata oblectatio eſt, eandem vt reponere æquum ſit, ſed quaſi vendita. Quomodo autem ſuperiorum incommoda & contumelias inopes perpeti decet, neque id patienter ſolum, ſed etiam demiſſe: ita viciſſim, ſi quid offenſum ab inferiorib. forte ſit, ſi quid repertum vel in natura eſt, vel in moribus vitii, æquo animo tolerabiliterque ferre id ſuperiores debent. Quam enim difficile ſit ad alienum arbitrium ſenſumque viuentem, vt cum dicta, tum facta tum ipſe mediusfidius motus geſtuſque ad alienam voluntatẽ dirigatur, nihil offendere, nuſ-

rē, nuſquam incurrere; ex eo intelligere licet, quod ne, ad noſtrum quidem iudicium, ad libidinemq; cū viuimus, facile nobiſmet ipſis ſatisfacere ſolemus: Prouideant igitur, ne, ſi quid aut quotidiano in miniſterio min⁹ apte, minuſue elegāter forte ceciderit, aut in rebus mandatis gerendis non exquiſitam quandā ſolertiam, induſtriam, diligentiā, celeritatem præſtiterint, tenues amici, continuo excandeſcant, atq; efferantur iracundia: quod faciunt quidam, & ſane furenter, & ſæpe. Nihil eſt enim facilius, quam per alium efficere quod velis; quā id ratione, commodiſſime fieri poſſit, optātem cogitatione deſignare: ſed facientes multa impediunt, multa interturbant, & retrahunt. Quamobrem cum indulgere potentes inopum peccatis æquū eſt, tū ſe ipſos excutere perſcrutariq; decet, ne, ſi quid forte in animo mendi latuerit, quam ipſi culpam ſuſtinere debēt, eam amicis attribuant: ſæpe enim vſu venit; vt ſuperiorum inconſtantia, peruerſitate, feſtinatione, iracundia, leuitate, bene ac prudenter inſtitutæ, procuratæque res; accurateque ac diligenter adminiſtratæ conturbentur, ſecuſque cadant. Ex quo illud è vetere comœdia:

Quàm arduum, dii boni, negotium eſt,
Dementi hero cum ſeruitutem ſeruias.

Caueant igitur hoc quoque: neq; in amicos ſtomachū erumpant, cum irati ſibimetipſis eſſe debeant. Quoniam autem non beneuolentia, neque caritate adducti, ſed præmiorum illecti

ſpe, quemadmodum antea quoque dictum eſt, ad hanc coniunctionem accedunt, procurandũ eſt, vt, qui ſuas partes diligenter accurateq; peregerint, qui obſeruantiam, & ſedulitatem, fidemque & ſolertiam præſtiterint, ne laborum ſuorum præmio mercede fraudentur. Ac quo modo ad inferiorum quidẽ officium pertinet, vt ne quicquam acerbius exigere videantur, neque potentem amicum flagitent, neue vrgeant, ſed tantum admoneant, & rogent, idque verecunde (longe enim ab obſequio atq; obſeruantia recedit, qui ad ſummam illam rationẽ ac veritatem ius ſuum perſequitur, eamq; ob cauſam indigne parentes ferre ſolent, cũ à liberis in iudicium vocantur: exæquari enim cum iis ſe nolunt) ſic hæſitantis eſt, atque adeo iniuriam cogitantis, cunctari expectareq;, dum admonearis, vt quos debeas, diſſoluas. Eſt enim plane debitum ne forte errent, vt, quorum vita in noſtris commodis conſumitur, eos remuneremus. Nõ igitur beneficium ſeſe dare arbitrentur, nẽque in gratiæ loco potentes atque opulenti ponant, cum bene de ſe meritos tenues amicos facultatibus augent ac locupletant: ſed ita exiſtiment, obſequii ſe atque obſeruantiæ præmium ſoluere, iuſtum quidem ac debitum: quaque ipſi menſura operas induſtriamque ab illis exegerunt, eadem retribuant mercedem, imitenturque terræ, agrorumque conſuetudinem, qui, à quibus diligentius coluntur ac laborioſius, iis vberiores fructus ferunt; præterquam enim,

quod

quod officio facient ſatis, vtilitati etiam conſulent: grati enim habebuntur ac benefici: atque ea re omnium erga ſe voluntates ſtudiaq; amicorum excitabũt, vt ſumma alacritate, ſummaque cõtentione adſint, obſequantur, obtemperent. Illud etiam ſummopere vitandum eſt, in quod pleriq; ſolent incurrere, vt domeſticis familiaribuſq; amicis male ne ſit, neue cibaria reſtricte nimium dent, ne viliſſima quæq; & contemptiſſima conſectentur, ne algeant, ne eſuriant: nam id quoque in mercedis, non in gratiæ loco ponendum eſt, vt illi, ſua quiſq; pro dignitate, alantur. Qui vero aut demenſum, quaſi ſeruis, exigue ſordideque præbent, aut, ſi quis quid commiſerit, ſi quis vſpiam ceſſauerit, id cibo & potione ſubducenda vindicant, dupliciter reprehendendi ſunt, & quod illorum in ſe cum odia, tum etiam voces irritant, à quibus diligi, colique velint, & quod, per quos lautitiam magnificentiamque oſtentari, elucereque volunt (nullã enim aliam ob cauſam tantos ſuſcipiunt ſumptus) per eoſdem illorum ſordes, auaritiaq; detegitur, atque affertur. Huc accedit, quod aſpere auareque tractati, de potentis amici benignitate cum ſemel deſperarunt, in poſterum quoque eum contemnunt. Itaque neque dant operam, vt illius ſibi gratiam cõcilient, & ſi quã etiam collectam habẽs, dilabi facile patiuntur: neq; enim gratis diligere ac ne diligi quidẽ, niſi ex ea re ad ſe vtilitas redeat, volũt. Itaq; aut nulli, aut viliſſimus quiſque in officio eſt: vtilitas

enim, quæ huiuſmodi neceſſitudinē conſtituit, eadem tollit. Quamobrem ſua quoq; intereſſe potentes ſtatuere debent, vt quoad fieri poſſit, alacres, ſpeique bonæ plenos inferiores amicos habeant, amanteſquè ſui, vltroque ac libenter obſequentes. id aſſequentur, ſi leniter, ſi humaniter vtentur imperio, & ſi bene benigneq; merentibus fecerint. Nunc verò imitantur pleriq; ciuitatum quarundam leges, non ſapientiſſimas illas quidem, quę pœnæ ſuppliciiq; metu deterrere improbos ab iniuſtitia tantum conātur, ſatiſque habent, ſi illud præſtiterint, vti facinoroſis inutile ſit peccare, aut plane etiam ærumnoſum. Rectius autem eſt eas ſequi, quæ regiæ à Xenophonte appellantur: eæ enim efficiunt nō modo vt peccare inutile perniciosumq; ſit, ſed etiam vt recte facere ſit fructuoſum; cum præmia bonis fortibuſq; proponant. Studeant igitur potentes, vt voluntario amicorū obſequio vtantur: ita enim demum potentia iucunda eſt, ſi in volentes eam exerceas: in inuitos autem, ac repugnātes, imperium iis dediſſe mihi Deus videtur, quos dignos iudicauit. qui ita affecti viuerent, quemadmodum Tantalus, quem apud inferos ferunt ſemper ſecūdæ mortis metu torqueri. Callidum eſt etiam quorundā, verſutumque conſilium, quid domeſticos inferiores amicos inter ſe congruentes metuunt, eoque in diſcordiis diſſidiiſq; in familia commouendis, o-diiſq; fouendis, atq; alendis ſunt occupati: conſpiraturam enim in partem familias cōſentientem

tem domum aiunt, diſſidentem autem inter ſe cum eo conuenturã, qui ſi in improbos inciderunt atq; infideles amicos, quid eſt, cur cauere eos, q̃ coercere, aut omnino iis carere malint? Sin probos integroſq; nacti ſunt, metuere nihil attinet: qui autem eſſe poteſt diſcrepantium inter ſe amicorũ vſus? Addiſcant igitur imperii gerendi rationem: neque enim facilis quædam res eſt, aut peruulgata: ac, ſi verum quærimus, ne humanitatis quidem vſquequaque, ſed magna ex parte diuinitatis: verum ea doctrina ab alia quadã arte petenda eſt, quam qui tenebũt, næ illi facile præſtabũt, vt ab iis, qui inter ſe vel fraterne diligant, colãtur ipſi, atq; amẽtur plurimum: ea tamen illud habet præceptũ ſaluberrimum, quo iubentur, qui cum aliquo imperio ſunt, eorum quib. dominentur, voluntates, beneuolentiamq; collectam & cõparatam habere: nam & dominatio tutior eſt ac munitior, & obtẽperantiũ vſus tum fructuoſior, tum longe, multũq; iucũdior. Quo magis accuſandi ſunt, qui æternũ cum familia ſua bellum ſuſceperũt, qui non modo ſuorum patrociniũ non ſuſcipiunt, ſed etiã ipſi oppugnant, & quaſi aduerſariis atq; inimicis, quibus poſſunt locis, incommodant, ac, quo quemque induſtriorem, fidelioremq; experti ſunt, eo deprimunt magis, veriti ſcilicet, ne, ſi ſemel emerſerint, vel ad aliũ ſe cõferant, vel rem ſuam agere velint: rectius autem erat, quomodo veteres efficiebãt, vt è ſeruis ſibi libertos haberẽt eos qui liberaliter ſeruirent, ſic

hos à mercenaria & ſeruili ad gratuitã & liberalem amicitiam illos euocare: neq; vero rectius tantũ, ſed etiam vtilius. Quod eſt enim prædium, quæue poſſeſſio tã opima, tamq; omniũ fructuum ferax & fertilis, quam amicus eſt? Quantũ vero intereſſe putamus, per gratuitosne amicos res noſtra, noſq; ipſi curemur, an ne per hoſce in quib. amicitiæ ſimulacra vix illa q-dem apparẽt? amicitia vero ipſa plane lõge abeſt. Et enim, qui vitæ ſuæ velut vſuram locant, ii, fieri nõ poteſt, quin laborũ mercedulã, ſpemq; dubiam vtilitatis ſpectent, ſeſeque reſpiciant, deque ſe vnis anxii ſollicitique ſint. Itaq; quomodo coloni, qui non ſuos, ſed de dominis cõductos fundos colunt, nec arbores ſerere, nec fundum inſtruere, nec vero villam ędificare ornareue volunt, ſed eam modo culturã adhibẽt, quę pręſentes fruges, quam minimo fieri poſſit impẽdio, quam vberrimas habeat: ſic ii, quamdiu quidẽ, tanquam operarii aliqui, deſeruiunt, nulla re augeri aut amplificari ſuperiores amicos ſtudẽt, neq; dant operã, illi ne nudi, inaneſque ſint, ſed, ipſi vt quam breuiſſimo temporis ſpatio quamplurimum auferant, in eo laborãt. Vbi vero à quæſtu ad caritatem, atq; amicitiam ingenuam illam ac gratuitã traducti ſunt, iam, quaſi agrorum domini, non illud modo attendunt, quantum ex ea cõiunctione vno illis, aut altero anno reficiatur, quantumq; ex ea re capiãt, ſed vti nos ornatos, beneq; cultos habeãt, id vero curant, atque enituntur. Itaque, amore

ac be-

ãc beneuolentia complexi nos, omnem laborẽ ſuſcipere, omneq; adire periculum geſtiũt noſtra cauſa, non ſecus quidẽ ac ſua: nec iam defatigantur, aut conquieſcunt, aut ſeparatim ſibi quicquam à nobis proſpiciunt: quæ quidẽ amicitia, niſi ſuperbia humanitatẽ obterat, niſi hominis ponamus naturam, immanitatem autem beluarum induamus, ſua ipſa ſponte oriatur, atque adoleſcat: nihil eſt enim, quod homini accidere iucũdius poſſit, q̃ hominis conſuetudo, præſertim cõgruentis: vt ſapientem quoq;, qui hæc tractant, in ſolitudine beatum fore negent. Nihil eſt autem procliuius, quam vt, quorũ iucunditate oblectemur maxime, ea diligámus, atq; amemus plurimũ. Magna præterea eſt cõuictus, & contubernii, ad hominũ animos beneuolẽtia implicandos, vis. nam beſtiarũ quoque nonnullarum animaduertere deſideriũ licet, cum ab iis eas diſtrahas, quibus cum paſci cõſueuerint: vt qui eũ, cuius fidem experti ſunt, induſtriam probant, mores laudant, cuiuſq; beneuolentiam, atq; amorem erga ſe perſpectum & cognitum habeant, non corde ament, neque cum eo opes ſuas æquabiles faciant, naturæ mihi vim adferre videantur humanæ.

F I Ñ I S.

NATHANIS CHYTRÆI NOTÆ, IN GALATEVM IOHANNIS CASÆ.

IN QVIBVS PRÆTER DIFFICILIOREM EXPLICAtionem, loci quoq; nonnulli bonorum auctorum, tam Latinorum, quam Græcorum indicantur, quos in ſcriptione Galatei auctor expreſſiſſe, aut ſaltem reſpexiſſe videri poſſit.

NOBILISS. ET OPTIMÆ INDOLIS, AC SPEI ADOLESCENTI BOIOCCONI, Nobiliſs. & ornatiſs. D. Caſparis von der Wenge / in Sauwert / & Olderſum capitanei integerrimi filio, diſciplinæ ſuæ alumno cariſſimo, S.D.

NATHAN CHYTRÆVS.

CVM has in Galateum noſtrum Notas, ſcholis puerilibus, vt ſpero, non futuras inutiles, in manibus haberem; eo ipſo tempore, nobiliſſime adoleſcens, factum eſt, vt à reuerendo & docto viro D. Martino Rochollio Eccleſiæ Olderſumenſis paſtore, in ſcholam hanc noſtram, vberioris ingenii cultus capiendi gratia, adducereris.

Cum autem ex aſpectu & colloquio tuo ſtatim animaduerterem indolem quandā ſingularem, & ad eximiam morum honeſtatem: & elegantiam inclinantem, ex ipſo vultu tuo

vere modeſto & amabili elucere; felici quaſi omine inſtigatus, cogitaui tuo præ aliis nomini eas ipſas Notas inſcribendas eſſe. Vt ſcilicet hac ratione ipſius Galatei lectio tibi fieret planior & expeditior. Tuque progreſſu temporis bene in hoc genere cœpta eo felicius poſſes perpolire. Paulo etiã poſt in eodẽ propoſito plurimum me confirmauit habitum hic cum nobiliſſimo & prudentiſſimo patre tuo D. Caſpare Von der Wenge/ *quod aliquot horas durauit, Colloquium, in quo præter ſtudium puræ & orthodoxæ religionis, amoremq; cõmunis patriæ ſalutis, & in ea procuranda ſingularem prudentiam, perſpexi etiam quantopere te filium ſuum vnicum & cariſſimum, litteris & moribus bonis quam optime cuperet inſtitutum & perpolitũ. Quæ ſane cura longe omniũ honeſtiſſima cum paucis noſtri ſeculi parentibus illi cõmunis eſt, quorum pleriq; hoc agunt, vt multos agros & paſcua opeſq; adeo ampliſſimas ſuis relinquant: vt autem probi, eruditi & bene morati euadant, plane negligũt. quos equidẽ Xenephon ſimiles eſſe aiebat equos alẽtibus, quos ea quæ ad res equeſtres & bellicas requiruntur non docent, multum vero pabuli iiſdem exhibent, & in futurum quoq; præparant,*

rãt. Qui ſane hac ratione equos habituri ſunt pinguiores & corpulentiores ſed interim rerũ, quas præſtari à bono equo oportebat, prorſus ignaros. Sicuti etiam liberi eorum, de quibus diximus, parentũ poſſeſſiones quidẽ magni precii habituri ſunt; ipſi autẽ apud omnes, qui rẽ hanc recte intelligunt, viles erunt. Cũ contra oporteret poſſeſſorem rebus quas poſſidet, multo eſſe precioſiorem. Quãto igitur nobiliſſimæ familiæ veſtræ opes diuinitus contigerunt ampliores; tanto magis ſapientiſſimus tuus parens, hoc tibi cenſet agendum, vt aliquando virtutis & doctrinæ tuæ precio, illas ipſius opes quam longiſſime ſuperare videaris.

Quo ipſo nomine te potiſſimum in noſtra hac ſchola erudiri voluit, de qua tanquã aſſiduus ephorus, vere teſtari poßũ, nihil prætermitti, quod ad liberalis doctrinæ fundamẽta recte iacienda pertineat. Ad morum vero honeſtatem & elegantiã quantum attinet, etiãſi de iis quoq; quotieſcunq; fert occaſio, diſciplinæ noſtræ alumni moneantur: tamen in illa lectionum & exercitationũ, neceſſaria ſane in talibus ſcholis, varietate, aliquid hac in parte, vt & alibi, deſiderari forte poſſe nõ nego. Cui defectui vt aliquo ſaltem modo mede-

rer, æſtate proxime ſuperiori in ſecūda & tertia claſſe Galateum hunc prælegendo percurri, vt opportunitatem haberem, de morib. quoq; honeſtis & politis auditores monendi, è qua ipſa natæ ſunt hæ, quas tibi communicandas cenſui notæ. Quarum ope tu quoq; paulo poſt, vel tuo Marte in Morum conformatione nō infructuoſe vti poſſes. Et quidem huncipſum ſcriptorem, inter omnes qui in hoc genere argumenti cum laude aliqua verſati ſunt: perfectiſſimum eſſe fatentur omnes, qui eum legerunt & recte intelligunt: ſed tamen multo etiam plura de eo ipſo argumento ſcribi potuiſſe res ipſa loquitur. In talibus enim quiſq; ſimilibus, non omnia chartis tradi poſſe, ſed multa eorum ſapientum monitu, ſuaſu, & exemplo, nec non tempore, vſu & experientia diſcenda eſſe, ſciendum eſt.

Qui igitur in hac parte officii, honeſtatis & elegantiæ ſtudioſus eſt, his admonitionib. initio quantum fieri poteſt, obtemperet; deinde prudentiores & ſeniores conſulat: conſuetudinibus pareat: temporum locorumque diuerſitati prudenter ſeſe accommodet.

Quod tibi nobiliſſime adoleſcēs eo erit facilius, quod à præſtantibus in hoc genere parentibus

tibus natus & educatus, ſemperq́ cum politis & bene moratis hominibus es conuerſatus: naturæq́ adeo generoſæ inſtinctu quodam ad moderationem, & morum elegantiam ferri videaris. Ad quam ſi litterarum quoq́ (quod ſane facis non inſtrenue) cognitionem adiunxeris; nō video quid in ampliſſimo hoc patrimonio deeſſe tibi poſſit, quo minus metam ab optimo patre tibi præfixam, quæ eſt, veræ eruditionis præſtantia, bonorumque morum honeſtas & elegantia quam feliciſſime conſequaris. Quod ipſum vt cum nobiliſſimorum parentum tuorum voluptate & gaudio, & gentilium ornatiſſimorum approbatione, tuoque adeo proprio ornamento & ſalute fiat, vere & ex animo tibi opto: & ſi ad metam illam aſſequendam, mea quoque qualiſcunque opella aliquid conducere tibi poſſit; id omne animo quam promptiſſimo tibi defero. Bene cum cariſſ. parentibus & quam diutiſſime vale. Bremæ Nonis Ianuarij, inchoantibus annum à Nato Saluatore CIↃ IↃ XCVII. *quem, & omnes ſequentes, tibi, tuiſque omnibus, quam feliciſſimum precor.*

ſpe, quemadmodum antea quoque dictum eſt, ad hanc coniunctionem accedunt, procurandũ eſt, vt, qui ſuas partes diligenter accurateq; peregerint, qui obſeruantiam, & ſedulitatem, fidemque & ſolertiam præſtiterint, ne laborum ſuorum præmio mercede fraudentur. Ac quo modo ad inferiorum quidẽ officium pertinet, vt ne quicquam acerbius exigere videantur, neque potentem amicum flagitent, neue vrgeant, ſed tantum admoneant, & rogent, idque verecunde (longe enim ab obſequio atq; obſeruantia recedit, qui ad ſummam illam rationẽ ac veritatem ius ſuum perſequitur, eamq; ob cauſam indigne parentes ferre ſolent, cũ à liberis in iudicium vocantur: exæquari enim cum iis ſe nolunt) ſic hæſitantis eſt, atque adeo iniuriam cogitantis, cunctari expectareq;, dum admonearis, vt quos debeas, diſſoluas. Eſt enim plane debitum ne forte errent, vt, quorum vita in noſtris commodis conſumitur, eos remuneremus. Nõ igitur beneficium ſeſe dare arbitrentur, neque in gratiæ loco potentes atque opulenti ponant, cum bene de ſe meritos tenues amicos facultatibus augent ac locupletant: ſed ita exiſtiment, obſequii ſe atque obſeruantiæ præmium ſoluere, iuſtum quidem ac debitum: quaque ipſi menſura operas induſtriamque ab illis exegerunt, eadem retribuant mercedem, imitenturque terræ, agrorumque conſuetudinem, qui, à quibus diligentius coluntur ac laborioſius, iis vberiores fructus ferunt; præterquam enim,
quod

quod officio facient ſatis, vtilitati etiam conſulent: grati enim habebuntur ac benefici: atque ea re omnium erga ſe voluntates ſtudiaq; amicorum excitabũt, vt ſumma alacritate, ſummaque cõtentione adſint, obſequantur, obtemperent. Illud etiam ſummopere vitandum eſt, in quod pleriq; ſolent incurrere, vt domeſticis familiaribuſq; amicis male ne ſit, neue cibaria restricte nimium dent; ne viliſſima quæq; & contemptiſſima conſectentur, ne algeant, ne eſuriant: nam id quoque in mercedis, non in gratiæ loco ponendum eſt, vt illi, ſua quiſq; pro dignitate, alantur. Qui vero aut demenſum, quaſi ſeruis, exigue ſordideque præbent, aut, ſi quis quid commiſerit, ſi quis vſpiam ceſſauerit, id cibo & potione ſubducenda vindicant, dupliciter reprehendendi ſunt, & quod illorum in ſe cum odia, tum etiam voces irritant, à quibus diligi, colique velint, & quod, per quos lautitiam magnificentiamque oſtentari, elucereque volunt (nullã enim aliam ob cauſam tantos ſuſcipiunt ſumptus) per eoſdem illorum ſordes, auaritiaq; detegitur, atque affertur. Huc accedit, quod aſpere auareque tractati, de potentis amici benignitate cum ſemel deſperarunt, in poſterum quoque eum contemnunt. Itaque neque dant operam, vt illius ſibi gratiam cõcilient, & ſi quã etiam collectam habẽs, dilabi facile patiuntur: neq; enim gratis diligere ac ne diligi quidẽ, niſi ex ea re ad ſe vtilitas redeat, volũt. Itaq; aut nulli, aut viliſſimus quiſque in officio eſt: vtilitas

enim, quæ huiuſmodi neceſſitudinē conſtituit, eadem tollit. Quamobrem ſua quoq; intereſſe potentes ſtatuere debent, vt quoad fieri poſſit, alacres, ſpeique bonæ plenos inferiores amicos habeant, amanteſque ſui, vltroque ac libenter obſequentes. id aſſequentur, ſi leniter, ſi humaniter vtentur imperio,& ſi bene benigneq; merentibus fecerint. Nunc verò imitantur pleriq; ciuitatum quarundam leges, non ſapientiſſimas illas quidem, quę pœnæ ſuppliciiq; metu deterrere improbos ab iniuſtitia tantum conātur, ſatiſque habent, ſi illud præſtiterint, vti facinoroſis inutile ſit peccare, aut plane etiam ærumnoſum. Rectius autem eſt eas ſequi, quæ regiæ à Xenophonte appellantur: eæ enim efficiunt nō modo vt peccare inutile perniciosumq; ſit, ſed etiam vt recte facere ſit fructuoſum; cum præmia bonis fortibuſq; proponant. Studeant igitur potentes, vt voluntario amicorū obſequio vtantur: ita enim demum potentia iucunda eſt, ſi in volentes eam exerceas: in inuitos autem, ac repugnātes, imperium iis dediſſe mihi Deus videtur, quos dignos iudicauit. qui ita affecti viuerent, quemadmodum Tantalus, quem apud inferos ferunt ſemper ſecūdæ mortis metu torqueri. Callidum eſt etiam quorundā, verſutumque conſilium, quid domeſticos inferiores amicos inter ſe congruentes metuunt, eoque in diſcordiis diſſidiiſq; in familia commouendis, ó-diiſq; fouendis, atq; alendis ſunt occupati: conſpiraturam enim in partem familias cōſentientem

tem domum aiunt, diſſidentem autem inter ſe cum eo conuenturã, qui ſi in improbos incide-runt atq; infideles amicos, quid eſt, cur cauere eos, q̃ coercere, aut omnino iis carere malint? Sin probos integroſq; nacti ſunt, metuere nihil attinet: qui autem eſſe poteſt diſcrepantium inter ſe amicorũ vſus? Addiſcant igitur imperii gerendi rationem: neque enim facilis quædam res eſt, aut peruulgata: ac, ſi verum quærimus, ne humanitatis quidem vſquequaque, ſed magna ex parte diuinitatis: verum ea doctrina ab alia quadã arte petenda eſt, quam qui tenebũt, næ illi facile præſtabũt, vt ab iis, qui inter ſe vel fraterne diligant, colãtur ipſi, atq; amẽtur plurimum: ea tamen illud habet præceptũ ſaluberrimum, quo iubentur, qui cum aliquo imperio ſunt, eorum quib. dominentur, voluntates, beneuolentiamq; collectam & cõparatam habere: nam & dominatio tutior eſt ac munitior, & obtẽperantiũ vſus tum fructuoſior, tum longe, multũq; iucũdior. Quo magis accuſandi ſunt, qui æternũ cum familia ſua bellum ſuſceperũt, qui non modo ſuorum patrociniũ non ſuſcipiunt, ſed etiã ipſi oppugnant, & quaſi aduerſariis atq; inimicis, quibus poſſunt locis, incommodant, ac, quo quemque induſtriorem, fideliooremq; experti ſunt, eo deprimunt magis, veriti ſcilicet, ne, ſi ſemel emerſerint, vel ad aliũ ſe cõferant, vel rem ſuam agere velint: rectius autem erat, quomodo veteres efficiebãt, vt è ſeruis ſibi libertos haberẽt eos qui liberaliter ſeruirent, ſic

hos à mercenaria & ſeruili ad gratuitã & liberalem amicitiam illos euocare: neq; vero rectius tantũ, ſed etiam vtilius. Quod eſt enim prædium, quæue poſſeſſio tã opima, tamq; omniũ fructuum ferax & fertilis, quam amicus eſt? Quantũ vero intereſſe putamus, per gratuitosne amicos res noſtra, noſq; ipſi curemur, an ne per hoſce in quib. amicitiæ ſimulacra vix illa q̃dem appareãt? amicitia vero ipſa plane lõge abeſt. Et enim, qui vitæ ſuæ velut vſuram locant, ii, fieri nõ poteſt, quin laborũ mercedulã, ſpemq; dubiam vtilitatis ſpectent, ſeſeque reſpiciant, deque ſe vnis anxii ſollicitique ſint. Itaq; quomodo coloni, qui non ſuos, ſed de dominis cõductos fundos colunt, nec arbores ſerere, nec fundum inſtruere, nec vero villam ędificare ornareue volunt, ſed eam modo culturã adhibẽt, quę pręſentes fruges, quam minimo fieri poſſit impẽdio, quam vberrimas habeat: ſic ii, quamdiu quidẽ, tanquam operarii aliqui, deſeruiunt, nulla re augeri aut amplificari ſuperiores amicos ſtudẽt, neq; dant operã, illi ne nudi, inaneſque ſint, ſed, ipſi vt quam breuiſſimo temporis ſpatio quamplurimum auferant, in eo laborãt. Vbi vero à quæſtu ad caritatem, atq; amicitiam ingenuam illam ac gratuitã traducti ſunt, iam, quaſi agrorum domini, non illud modo attendunt, quantum ex ea cõiunctione vno illis, aut altero anno reficiatur, quantumq; ex ea re capiãt, ſed vti nos ornatos, beneq; cultos habeãt, id vero curant, atque enituntur. Itaque, amore

ac be-

ac beneuolentia complexi nos, omnem laborẽ ſuſcipere, omneq; adire periculum geſtiũt noſtra cauſa, non ſecus quidẽ ac ſua: nec iam defatigantur, aut conquieſcunt, aut ſeparatim ſibi quicquam à nobis proſpiciunt: quæ quidẽ amicitia, niſi ſuperbia humanitatẽ obterat, niſi hominis ponamus naturam, immanitatem autem beluarum induamus, ſua ipſa ſponte oriatur, atque adoleſcat: nihil eſt enim, quod homini accidere iucũdius poſſit, q̃ hominis conſuetudo, præſertim cõgruentis: vt ſapientem quoq;, qui hæc tractant, in ſolitudine beatum fore negent. Nihil eſt autem procliuius, quam vt, quorũ iucunditate oblectemur maxime, ea diligámus, atq; amemus plurimũ. Magna præterea eſt cõuictus, & contubernii, ad hominũ animos beneuolẽtia implicandos, vis. nam beſtiarũ quoque nonnullarum animaduertere deſideriũ licet, cum ab iis eas diſtrahas, quibus cum paſci cõſueuerint: vt qui eũ, cuius fidem experti ſunt, induſtriam probant, mores laudant, cuiuſq; beneuolentiam, atq; amorem erga ſe perſpectum & cognitum habeant, non corde ament, neque cum eo opes ſuas æquabiles faciant, naturæ mihi vim adferre videantur humanæ.

F I Ñ I S.

NATHANIS CHYTRÆI NOTÆ, IN GALATEVM IOHANNIS CASÆ.

IN QVIBVS PRÆTER DIFFICILIOREM EXPLICAtionem, loci quoq; nonnulli bonorum auctorum, tam Latinorum, quam Græcorum indicantur, quos in ſcriptione Galatei auctor expreſſiſſe, aut ſaltem reſpexiſſe videri poſſit.

NO-

NOBILISS. ET OPTIMÆ INDOLIS, AC SPEI ADOLESCENTI BOIOCCONI, Nobiliſs. & ornatiſs. D. Caſparis von der Wenge / in Sauwert / & Olderſum capitanei integerrimi filio, diſciplinæ ſuæ alumno cariſſimo, S.D.

NATHAN CHYTRÆVS.

CVM has in Galateum noſtrum Notas, ſcholis puerilibus, vt ſpero, non futuras inutiles, in manibus haberem; eo ipſo tempore, nobiliſſime adoleſcens, factum eſt, vt à reuerendo & docto viro D. Martino Rochollio Eccleſiæ Olderſumenſis paſtore, in ſcholam hanc noſtram, vberioris ingenii cultus capiendi gratia, adduecereris.

Cum autem ex aſpectu & colloquio tuo ſtatim animaduerterem indolem quandā ſingularem, & ad eximiam morum honeſtatem: & elegantiam inclinantem, ex ipſo vultu tuo

vere modeſto & amabili elucere; felici quaſi omine inſtigatus, cogitaui tuo præ aliis nomini eas ipſas Notas inſcribendas eſſe. Vt ſcilicet hac ratione ipſius Galatei lectio tibi fieret planior & expeditior. Tuque progreſſu temporis bene in hoc genere cœpta eo felicius poſſes perpolire. Paulo etiã poſt in eodẽ propoſito plurimum me confirmauit habitum hic cum nobiliſſimo & prudentiſſimo patre tuo D. Caſpare Von der Wenge/ *quod aliquot horas durauit, Colloquium, in quo præter ſtudium puræ & orthodoxæ religionis, amoremq; cõmunis patriæ ſalutis, & in ea procuranda ſingularem prudentiam, perſpexi etiam quantopere te filium ſuum vnicum & cariſſimum, litteris & moribus bonis quam optime cuperet inſtitutum & perpolitũ. Quæ ſane cura longe omniũ honeſtiſſima cum paucis noſtri ſeculi parentibus illi cõmunis eſt, quorum pleriq; hoc agunt, vt multos agros & paſcua opeſq; adeo ampliſſimas ſuis relinquant: vt autem probi, eruditi & bene morati euadant, plane negligũt. quos equidẽ Xenephon ſimiles eſſe aiebat equos alẽtibus, quos ea quæ ad res equeſtres & bellicas requiruntur non docent, multum vero pabuli iiſdem exhibent, & in futurum quoq; præparant,*

rãt. Qui ſane hac ratione equos habituri ſunt pinguiores & corpulentiores ſed interim rerũ, quas præſtari à bono equo oportebat, prorſus ignaros. Sicuti etiam liberi eorum, de quibus diximus, parentũ poſſeſſiones quidẽ magni precii habituri ſunt; ipſi autẽ apud omnes, qui rẽ hanc recte intelligunt, viles erunt. Cũ contra oporteret poſſeſſorem rebus quas poſſidet, multo eſſe precioſiorem. Quãto igitur nobiliſſimæ familiæ veſtræ opes diuinitus contigerunt ampliores; tanto magis ſapientiſſimus tuus parens, hoc tibi cenſet agendum, vt aliquando virtutis & doctrinæ tuæ precio, illas ipſus opes quam longiſſime ſuperare videaris.

Quo ipſo nomine te potiſſimum in noſtra hac ſchola erudiri voluit, de qua tanquã aſſiduus ephorus, vere teſtari poſsũ, nihil prætermitti, quod ad liberalis doctrinæ fundamẽta recte iacienda pertineat. Ad morum vero honeſtatem & elegantiã quantum attinet, etiãſi de iis quoq; quotieſcunq; fert occaſio, diſciplinæ noſtræ alumni moneantur: tamen in illa lectionum & exercitationũ, neceſſaria ſane in talibus ſcholis, varietate, aliquid hac in parte, vt & alibi, deſiderari forte poſſe nõ nego. Cui defectui vt aliquo ſaltem modo mede-

tibus natus & educatus, ſemperq; cum politis & bene moratis hominibus es conuerſatus: naturæq; adeo generoſæ inſtinctu quodam ad moderationem, & morum elegantiam ferri videaris. Ad quam ſi litterarum quoq; (quod ſane facis non inſtrenue) cognitionem adiunxeris; nō video quid in ampliſſimo hoc patrimonio deeſſe tibi poßit, quo minus metam ab optimo patre tibi præfixam, quæ eſt, veræ eruditionis præſtantia, bonorumque morum honeſtas & elegantia quam feliciſſime conſequaris. Quod ipſum vt cum nobiliſſimorum parentum tuorum voluptate & gaudio, & gentilium ornatiſſimorum approbatione, tuoque adeo proprio ornamento & ſalute fiat, vere & ex animo tibi opto: & ſi ad metam illam aſſequendam, mea quoque qualiſcunque opella aliquid conducere tibi poſſit; id omne animo quam promptiſſimo tibi defero. Bene cum cariß. parentibus & quam diutiſſime vale. Bremæ Nonis Ianuarÿ, inchoantibus annum à Nato Saluatore CIↃ IↃ XCVII. *quem, & omnes ſequentes, tibi, tuiſque omnibus, quam feliciſſimum precor.*

NOTÆ IN GALATEVM.

GALATEVS) Hanc inſcriptionem cur hic liber nactus ſit, patet ex eius p. 10. v. 23. vbi inter alia dicitur in familia Ioannis Matthæi Giberti Epiſcopi olim Veronenſis, fuiſſe virum quendam ſenem, doctum, humanum, diſertum, gratioſum, ſuauem, affabilem, perurbanum, & in magnorum principum aulis diu & cum laude verſatum, nomine Galateum, cuius inſtinctu ſe hunc libellum conſcripſiſſe auctor fatetur.

An ſtudium bonorum morum deceat Chriſtianum.

Eleganter & recte in quadam epiſtola ad Atticum dixit Cicero: *Exculto animo nihil ineſſe agreſte, nihil inhumanum.* Et quidem iſta humanitatis & ciuilitatis officia à viris quoque ſanctis nõ aliena eſſe; docet inſignis Theologus Petrus Martyr, explicans ſecundi libri Regum cap. 4. Vbi cum Propheta Helias ex monte Carmelo vidiſſet Sunamitidem hoſpitam ſuam propere ad ſe currentem; miniſtrum ſuum his verbis alloquitur: Age curre ei obuiam & dic ei: *Eſtne pax tibi? eſtne pax viro tuo? eſtne pax puero?* Vbi interpres, *Vir Dei è monte Carmelo eam è regione conſpexit, atque agnouit, cumque videret feſtinantem & extra tempus aduentare, veritus eſt*

ne quid

ne quid mali ei contigiſſet. Quocirca ſeruum ſuum miſit ei obuiam honoris cauſa, vtque decet bonum & humanum hoſpitem, diligenter atque humana ſollicitudine iußit inquiri, an ſalua res eſſent. Vtque magis amplificaret & exprimeret ſollicitudinem, qua erga illam familiam afficiebatur, interrogationem per partes diſtribuit, rogando an recte ipſi mulieri eſſet; an recte viro, an recte filio; Huiuſcemodi officia cum Propheta ac ſancti viri coluerint, nos quoque ab eis non debemus abhorrere. Quod idcirco memoro, quod quidam reperiantur Anabaptiſtæ, qui ſe σκυθρώπους omnino præbent, & quadam agreſti duritie atque ruſtica ſeueritate gaudent, omnino reſpuentes ciuilia & amica officia, quaſi ſtulta & inepta ſeueritas aliquem Deo & hominibus commendet.

Similia ex Colloquio Dauidis cum Abigaile, Samuelis libro 1. cap. 25. & ex Colloquio Prophetæ Nathanis cum Rege Dauide 2. Samuel. ca. 12. colligi poſſunt. Et grauiſſimi probri loco obiicitur Nabali, quod eſſet durus, & malis moribus, & improbior, quam vt quiſquã eum poſſet alloqui 1. Samuel. c. 25. Sicut alias nemo hominum mediocriter elegantium eſt, qui vt Cicero ad Atticum alicubi ſcribit, nõ magnopere improbet. *ſi quid in communi vita, vel iracunde, vel inſolenter, vel in omni genere ſtultitiæ inſulſe, aut arroganter dicatur, vel taceatur.* Idem Cicero in iiſdem Epiſtolis, admodũ in fratris filio improbat τὸ ἀνηθοποίητον, ſeu mores male formatos: atque ideo in eius inſtitutione ἤθους ἐπιμελητέον, ſeu

bonorum morum curam habẽdam eſſe cenſet; Et inter Philoſophos Zeno quoq;, licet Stoicus; dicere nõ dubitauit: δεῖν τοὺς νέοις πάσῃ κοσμιότητι κεχρῆσθαι ἐν πορείᾳ; ἐν σχήματι; καὶ περιβολῇ. h. e. *Oportere adoleſcentem omni honeſtate & elegantia vti in inceſſu, habitu & veſtitu.* Simile etiam quid in tertio Apomnemon: Xenophontis Socrates præcipit Theodoræ, vt nimirum recte homines diſcat tractare, amice inuiſere, libenter venientes excipere; ingentem ex eorum ſucceſſibus voluptatem capere; ſcire etiam; quibus verbis exhilarentur, quibus offendantur; Imo ipſo intuitu gratiam ſibi eorum conciliare; vbi hæc memorabilia addit. *Violentia enim neque ceperis; neque retinueris amicum; beneficentia vero & ſuauitate hæc fera tum capi ſe patitur; cum ab eo non diſcedit qui ceperit.*

Pag. 2. Cum iter hoc vitæ humanæ) In exordio hoc formando videtur imitatus illa in Ciceronis Catone maiore verba, Lælio inueni Catonem ſenem alloquenti tributa. *Volumus ſane; niſi moleſtum eſt tibi Cato; tanquam longam aliquam viam confeceris, qua nobis quoque ingrediendum ſit, iſtuc; quo perueniſti; videre quale ſit.* Quæ ſcribens Cicero forte reſpexit illa Platonis in 1. De Rep. vbi ſenem Cephalum; interprete Serrano ita alloquitur Socrates, *Gaudeo maximopere Cephale; dum eos alloquor, qui ſunt valde prouecti ætate. Operæpretium enim mihi videtur; ab illis audire; veluti iis; qui viam eam peregerint priores, qua neceſſario à nobis eſt ineunda, nimirum*

quanam

quænam ipſa ſit, aſperane & difficilis, an facilis & expedita, &c. Quod autem hic de itinere terreſtri dixit, id Cicero pro Murena concinne tranſtulit ad nauigationes marinas.

Quod ſi, inquit, *è portu ſoluentibus ii qui iam in portum ex alto inuehuntur; præcipere ſummo ſtudio ſolent, & tempeſtatum rationem, & prædonum, & locorum, quod natura affert; vt eis faueamus, qui eadem pericula quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo tandem animo me eſſe oportet prope iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cum video maximas Reipublicæ tempeſtates eſſe ſubeundas?* Quiddam etiam aliquo modo huc faciens habet Plutarchus in fine libelli de vitioſo pudore. *Sicut enim,* inquit interprete Xylandro, *viatores, vbi in ſaxum impegerunt, & nautæ apud promontorium aliquod nauim ſicubi alliſerunt; memores ſui caſus non iſta modo ad quæ offenderunt, ſed & ſimilia horum perpetuo horrent atque vitant, &c.*

Pag. 3. verſ. 17. Illa enim frequenter) Maius autem (teſte Ariſtotele ῥητ. α) bonum eſt quod plures & crebriores vſus præbet, quam quod pauciores & rariores.

Pag. 3. v. 5. Vnam tantum ob cauſam) Morum elegantiam & ſuauitatem ex eo commendat, quod etiam ſine aliis præſtantioribus & laude dignioribus virtutibus poſſit conſiſtere, & aliis ſe commendare. Hæ autem ſine illa nequaquam, quod probabiliter itidem docet Ariſtot. libro iam indicato.

P.5.v.10. *Multa & varia ſupellectile indigent.*) Maius autē & potius eſt, quod minus aliis eget. Morū elegantia minus quā cæterę virtutes aliena ſupellectile & inſtrumentis eget. Ergo eſt potior, Ariſt. ῥητ. α. de maiore & minore bono.

P.5.v.27. *Qui nihil penſi habet*) Hæc ſcribens reſpexiſſe videtur ad illa Ciceronis 1. offic. *Negligere quid de ſe quiſque ſentiat non ſolum arrogantis eſt ſed etiam omnino diſſoluti.*

P.6.v.1. *Qualeſnam res illæ ſint quibus homines delectantur*) Eæ autem copioſe explicantur ab Ariſt. Rhetor. lib. 1. Vbi agit de genere iudiciali, ſub titulo bonorum iucundorum.

P.7.v.5. *Speciem ſpurciciei animis repræſentant*) Huius admonitionis memor eſt Cicero in 2. de Nat. Deorū vbi de expulſione excrementorum alui agens ſic loquitur: *Quemadmodum cibi reliquiæ depellantur, tum aſtringentib. ſe inteſtinis, tum relaxantibus, haud ſane difficile dictu eſt, ſed tamen prætereundum, ne quid habeas iniucunditatis oratio.*

Ib.v.19. *Aures offenduntur flatu*) Quo pertinent etiam ſtertentium ronchi, de quibus alicubi Cicero ad Atticum. *Marcellus candidatus ita ſtertebat, vt ego vicinus audirem.*

Ibid.v.21. *Colliſione duorum lapidum*) Ariſtot. prob. ſect. 7. q. 5. Quæritur cur inhorreſcamus cum ſerra exacuitur, vel pumex ſecatur, aut lapis mola frangitur quem vide.

Ib.v.24. *A cantu abſtinebit*) Cur hoc cauendum etiam aliā cauſam affert Iul. Cæſ. Scaliger, Epidorpidū lib.4. ſub titulo *Cātillatores & triſtes fuge.*

Capti-

Captiua caue guttura cantiuncularum,
His nil leuius, contra etiam, magiſque triſtes:
Hos, nil quibus eſt perfidioſius, caueto.

Ib.v.29. Qui natura minime idonei.) Hoc ad alia quoq; grauiora transferri poteſt. Fere enim fit, vt imperiti & nõ idonei longe prõptioris ſint in reb. arduis aggrediendis, q̃ ſunt maxime idonei & periti. Iuxta illud: *Dulce bellũ inexpertis, expertus metuit.* Huc aliquo modo pertinent illa Ouid.

Exige quod cantet, ſi qua eſt ſine voce puella.
Fac ſaltet neſcit ſi qua mouere pedem.
Barbara ſermone eſt fac tecum multa loquatur, &c.

Pag. 8. v. 4. Pituitæ aſpergine) Aut pituitam ex naribus propendentem; cum ſono quodam ingratiſſimo ſubinde retrahunt.

Ibid. v. 15. A nimia oſcedine) Quantum hoc vitium apud veteres Romanos habitum ſit, patet ex Gellii lib. 4. c.20. *Vbi deliberatum eſt*, inquit, *de nota eius; qui ad Cenſores ab amico aduocatus eſt, & in iure ſtans clare nimis ac ſonore oſcitauit: atque inibi prope vt plecteretur, fuit; tanquam illud indicium vagi animi foret & hallucinantis, & fluxæ atque apertæ ſecuritatis; ſed cum ille deieraſſet, inuitiſſimum ſeſe ac repugnantem oſcitatione victum, tenerique eo vitio quod oſcedo appellatur; tum notæ iam deſtinatæ exemptus eſt.*

Ib.v.21. Præſens ſodalitiũ auerſetur) Quod ipſum indicium eſt ὀλιγωρίας καὶ καταφρονήσεως, quatum omnes impatientes cum ſint, facile offenſiones & iræ inde exiſtunt Ariſtot. ῥητ. β.

Ibid.v.28.Si vnus aliquis oſcitet.) Ab hac conſuetudine ſimile hoc petiuit Roterodamus. *Vt oſcitant permulti*, quod vnũ conſpiciant oſcitantẽ, & micturiunt ꝙ meientẽ viderint: ita quidã nullo certo iudicio ad ſuſcipiẽdà negotia permouentur, ſed ꝗduis in aliis imitantur ac referunt. De cauſa huiꝰ oſcitationis diſſerit Ariſt. probl.ſect. 7.q.2. vbi quærit. *Διὰ τί τοῖς χασμωμένοις ἀντιχασμῶνται, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ;* Et Alexãd. Aphrod. ꝓbl.1. quærit. *Διὰ τί οἱ βλέποντες τοὺς χασμωμένους, χασμῶνται*, &c. Vide prouer. Oſcitante vno, oſcitat & alter. Quod explicat Eraſmus Chil.3. cent.5. prou.95.

P.9.v.18. Piropi) Gemmæ ab igneo ſeu flammeo rubore ſic dictæ Germanice, ein Rubin.

Ibid.v.24. A nobis alienaretur) Huc pertinent quæ Ouidius de remedio amoris obſeruare iubet, ab amore liberari cupientes.

Pag.10.v.11. Vt ex naribus aliquid excidat etiamſi.) In menſa autem non tantum ab omnibus nauſeam mouentibus; verum etiam à ſuſpicionem & imaginationem eius concitantibus accurate cauendum eſt.

Ibid.v.20. Vulnera minuta ſi multa) Huic paucis mutatis refero illud Ouidij:

Forſitã hæc aliquis (nam ſunt quoq;) parua vocabit,
Sed quæ non lædunt ſingula, multa necant.

Pertinet eodem locus Auguſtini ex libro de 10. chordis, vbi, *Noli*, inquit, *illa contemnere, quia minora ſunt, ſed tunc quia plura ſunt. Attendite fratres mei, minuta ſunt, non ſunt magna, non eſt beſtia quaſi leo, vt vno morſu guttur frangat, ſed beſtiæ*

plerumque minutæ multæ necant; Si proiiciatur quiſquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Non ſunt quidem maiores, ſed infirma eſt natura humana, quæ etiam à minutiſsimis beſtiis interimi poteſt. Sic & modica peccata, attendite quia modica ſunt, & cauete quia plura ſunt. Quam minutiſsima ſunt grana arenæ? ſi arenæ amplius in nauim mittantur, mergunt illam vt pereant. Quam minutæ ſunt guttæ pluuiæ? nonne flumina implent & domos deiiciunt? Ergo iſta nolite contemnere. Idem alibi de peccatis paruis quidem, ſed crebris inquit, *Quid intereſt ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat nauem atque ſubmergat.*

V.24. Nominatur Epiſcopus Veronenſis, Iō. Matth. Gibertus, cuius etiam meminit Paulus Iouius Hiſtor.25. his fere verbis: *Clemens* VII. *pontifex à Caroli* V. *Cæſaris exercitu anno* 1527. *captiuus factus, cum ei liberatio, ſi militibus ſtipendia perſolueret, promitteretur: & tamen in aliena poteſtate conſtitutus, nullam omnino tutam rationem cogendæ repræſentandæque pecuniæ reperiret, longe cariſsimos atque honeſtiſsimos ex familiaribus qui ſecum erant repræſentandæ pecuniæ obſides, frementibus depoſcentibuſque Germanis tradere coactus eſt. Hi fuere. Ioan. Maria Montanus Archiepiſcopus Sipontinus, & Onofrius Bartholimus, Piſanus Archiepiſcopus. Epiſcopi vero Ioan. Mattheus Gibertus Veronenſis. His acceſſere alii*

pecunioſi nobileſque, & arcte propinquitate pontifici coniuncti, quorum manibus illico barbari catenas inieceÅ¿runt, & tanta truculentia ad exprimendum aurum tenuerunt, vt in Campo Floræ ad erectas dicataſque latronum ſuſpendiis furcas damnatorum more catenati perducerentur, parato ibidem ad legem agendum carnifice, ſi paulo aſperior concionis fremitus annuiſſet. Per hunc modum miſeri, pallenteſque, & extremi ſupplicii metu perfuſi, terque in concionem producti præclara ope magni numinis ſeruati ſunt, cum ſpes auri, vel in efferatis diuturna immanitate animis miſericordiam exprimeret. Si quidem paulo poſt in carcere cuſtodibus ex inſtituta cœnæ crapula, multoque falerno conſopitis, catenas exuerunt, & per vaporarium foci tubum in ſumma Riariæ domus tecta extracti funibus euaſerunt, tanta felicitate, vt pedibus egreſsi vrbem ad Vrbinatis caſtra, quæ tum erant in Vmbriæ finibus confugerent.

Pag. 12. v. 22. Vt munus) Eſt enim candida & amica de vitiis noſtris admonitio munus omni auro & gemmis precioſius, & quo idipſum rarius, eo carius intelligentibus eſſe debet.

Ib. v. 25. Iudicat te Dominus) Exemplum prudẽtis, amicæ, cum laude admonendi coniunctæ & decentibus verbis prolatæ admonitionis.

Pag. 13. v. 4. Niſi vni actui tuo) Quaſi diceret. Omne bonum quod habes contaminat vnica labes, Quo & illud vulgare. Qui ſint abſq. Niſi, non ſunt homines mihi viſi.

Ib. v. 7. Poppyſmate) Poppyſma eſt vocis blandimentũ, quo equi inter tractandũ à curatorib. demul-

demulcẽtur. Ger. das pfopffen/ à Græco ποππύζω

Ibid v. 22. Si dona) Exemplum hominis modeſti, & bonas admonitiones non reſpuentis, ſed cordate & eleganter eas admittentis, & ſecundum eas malos mores emendantis.

Ib. v. 23. Talia eſſent) Nudis verbis conſtantia.

Ib. v. 25. Opulentiores) In aliis n. precio nummario æſtimatis muneribus, is qui donat, quantum aliis impertit, tantum ſibi detrahit, hic autẽ plane nihil auri vel argenti decebat donanti.

Pag. 15. v. 18. Immundiciei ſuſpicio) Suſpicari enim poteſt Dominus inter expuendũ, tuſſiendum aut ſternutandum aliquid in patinas, aut pocula excrementorum illorum incidiſſe, etiamſi nihil inciderit. Multo igitur peius faciunt illi, qui digitum indicẽ ſaliua madefactum ſalino imprimunt, & ſalẽ ei adhæreſcentẽ lingunt.

Pag. 16. verſ. 3. Suo illum halitu) Quod ipſum non ſine moleſtia ſentimus in tonſoribus, capillitium aut barbam nobis reſecantibus, qui nonnunquam vt pilorũ minutias cuti, aut veſtibus adhæreſcentes abſtergant, buccis vſque adeo plenis nos afflant, vt cum ipſa Borea certamen iuſtituiſſe videantur.

Ibid. verſ. 23. Sed aliis quibuſdam conſiſtunt) Vt iratus appetit vindictam. Guloſus delicias in cibo & potu. Libidinoſus expletionem libidinis, Auarus incrementum pecuniæ.

Ibid. verſ. 27. Beneuolentia, obſeruantia, & aliis non diſſimilibus. Quæ omnia Pãphilo inſunt Terẽtiano, iuueni vere ὁμιλητικῷ. Cuius ſic vita erat

Facile omnes perferre ac pati, cum quibus erat, cumq; vna, ſiue ii ſuperiores eſſent, ſiue pares, ſiue inferiores His (ſcilicet ſuperiorib.) ſeſe dedere, eorumq; obſequi ſtudiis, aduerſus nemini (ſcilicet æqualium) nunquam præponens ſe illis (ſcilicet inferioribus) atque ita facillime ſine inuidia laudem apud omnes inueniebat, & amicos ſibi parabat.

Pag.17.v.26. Ad vngues reſecandum) Aut auriſcalpium, quo ſordes aurium eximat.

P.18.v.13. Amoris & familiaritatis indicium) Reſpexit hæc ſcribens locum Ariſtotelis qui eſt in ſecundo Rhetoricorum, vbi agit de affectu amoris, & amare homines ait eos: πρὸς οὓς οὕτως ἔχουσιν, ὥστε μὴ αἰσχύνεσθαι τὰ πρὸς δόξαν, &c. Seu erga quos ita ſint affecti, vt non pudeat coram illis ea facere, quæ vulgo turpia habentur, modo id non fiat ex contemptu, quod fieri ſolet apud homines conditionis abiectę quorum de ſe iudicia non verentur. Apud eos enim ſi quis tali libertate vtatur, aliter eſt affectus, ac ſi idem faceret apud honoratum amicum. Pertinet huc illud Martialis in Criſpum.

Nil aliud video. quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere Criſpe ſoles.

Ibid.v.23. Honeſte quoq; veſtitus) De hoc generatim ita præcipit Demonico ſuo Iſocrates: εἶναι βούλου τὰ περὶ τὴν ἐσθῆτα φιλόκαλος, ἀλλὰ μὴ καλλωπιστής. ἔστι γὰρ φιλόκαλον μὲν τὸ μεγαλοπρεπές, καλλωπιστοῦ δὲ τὸ περίεργον. Hoc eſt, *In veſtitu eſſe velis ſtudioſus elegātiæ & mūditiei, ſed nequaquā fuci. Elegātiæ enim*

tiæ enim ineſt magnificum, ſed fuco ſuperuacaneum.

Pag.19.v.11.Cæſariem oſtentare) Inſtar noui alicuius Catonis, de quo Lucanus lib.2.

Intonſos rigidam in frontem deſcendere crines
Paſſus erat, mœſtamq́, genis increſcere barbam.

Aut poetaſtri illius Horatiani, *Qui tribus Anticyris caput inſanabile nunquam Tonſori Licino committebat.*

Pertinent huc cirri & miris artibus intortæ comæ, quibus hodie multi cincinnatuli & calamiſtrati Adrogyni, ingenia ſua monſtroſa & effœminata patefaciunt.

P.20.v.14.Veſtes habiles & corpori cum decore accommodatæ) Inter quas nequaquam referri poſſunt prægrandes illæ & corrugatæ faſciæ circa colla hodie ſerpentes, item thoraces illi, tanquam hydropicum aliquem tegerent tumidi, ac prodigioſe prominentes ventres goſſipio aut pilis infarti, quibus multi contra naturam ſeipſos hodie faciunt προγάστορας.

Ibi.v.21. Quid venuſtum non intelligant) Hos vna voce Græci vocant ἀπειροκάλοις, & ipſum vitium ἀπειροκαλίαν, aut ſi dedita opera hoc fiat μισοκαλίαν. Cum hominem elegantem in reb. omnibus φιλόκαλον potius eſſe deceat. Qualis Xenophon fuiſſe ab Æliano perhibetur. Variæ hiſtoriæ lib.3.

Pag.21.v.2.Toti ſocietati in mora ſunt) Tales qui ſunt, vulgo etiam his rhytmis in hoſpitiis Saxonicis paſſim conſpicuis notantur.

Es ſteht geſchriben
Das ſechs oder ſiben
Nicht ſollen harren
Auff einen Narren
Sondern eſſe
Vnd deß Narren vergeſſen.

Notat etiã tale quid in Lollio Hortatius Epi. 18.

Nec cum venari volet ille poemata panges,&c.

Pag. 21. v. 26. Sui tantum ab aliis rationem] Quaſi neminem præter ſe liberum putent. homines vere non εὐξύμβολοι ſed δυσξύμβολοι, vt Xenophon eos appellat.

Pag. 23. v. 6. Tali vlna) Vt poteſtatem quaſi cenſoriam ſibi ſumant, de aliis exacte iudicandi, quanti precii & æſtimationis ſint. Quod etiam rhytmis Germanicis præcipitur.

Laß ein andern bleiben der er iſt/
So bleibſtu auch wer du biſt.

Imprimis autem cauendum eſt, ne de abſentibus male loquamur. Qui enim ad ſunt atque audiunt, & de nobis peius exiſtimant, & plerũque ea quæ audierunt, ad eos deferunt, aut mutilata σοφιστικῶς, vt facit Diabolus in Euangelio: aut amplificata συκοφαντικῶς. Præclarum igitur habeatur Demoſthenicum illud;

Ἐπαινεῖν μὲν οὐ δύναμαι;
Ψέγειν δ᾽ οὐ βούλομαι.

P. 23. *Potius Dominii quã ſodalitatis*) Simile quid Demonico pręcipit Iſocrates. Γίνου πρὸς τοὺς πλησιάζοντας ὁμιλητικὸς, ἀλλὰ μὴ σεμνός. τῶν μὲν γὰρ τὸ ὑπερόπτικον ὄγκον μόλις ἂν οἱ δοῦλοι καρτερήσειαν.

τῶν δὲ τὸν ὁμιλητικὸν τρόπον ἅπαντες ὑποφέρουσιν. ὁμιλητικὸς δὲ ἔσῃ, μὴ δύστριϐος ὢν, μηδὲ δυσάρεστος, μηδὲ πρὸς πάντα φιλόνεικος, φιλαίτιος, φιλεπιτιμητής. h.e. *In conuerſatione cum familiaribus dexter eſto & iucundus, non nimis grauis aut ſuperciliosus. Faſtum n. hunc ſuperbũ vix ſerui tolerent. Mores autẽ illi faciles & æquabiles omnibus ſunt iucundi. Talis autẽ eſſe videberis, ſi non eris litigioſus, atq́ difficilis, neq́ ad omnia cõtentioſus & accuſandi reprehendendiq́ alios cupidus.* Huius virtutis inſigne exemplũ fuit Plato, ita ſuauiter καὶ ἀτύφως cõuerſatus cũ hominibus ſibi ignotis, quibus & ipſe ignotus erat, vt iis iucũdiſſimus eſſet, eoq; ipſo oſtenderet, ὅτι δύναται, καὶ ἄνευ τῶν συνηθῶν λόγων χειροῦσθαι τοὺς συνόντας. hoc eſt. *Quod poſſet etiam ſine vſitatis in Academia diſputationibus familiarium ſuorum beneuolentiam ſibi conciliare.* Sicut ea de re loquitur Ælianus 5. Hiſt. lib. 4. ſub initium.

P.24.v.11. *Sicut acria ab aliis mandu.*) Ita ſi quẽ videamus ſinapi magna copia ori infundere, aut pharmacum amarum, cuius ſapor nobis non ignotus eſt, ſubito exhaurire: ipſi quoque quodammodo cohorreſcimus, & eiuſdem acrimoniæ & amaritiei nobis conſcii eam auerſamur. Vide Ariſto. probl. ſect. 7. q. 5. Vbi in cauſam inquirit, ob quam dentes nobis ſtupeſcant, cum alios rem acidam edentes aſpicimus.

P.24.v.16. *Refractarius proprie*) dicitur equus oris duri qui Æſchilo eſt σκληρόστομος, Polluci, ἀπειθής, δυσάγωγος. aliis δυσυπότακτος, δυσκάθεκτος. Inde vox trãsfertur ad homines ſimilis ingenii,

Ibid.v.29.Niſi damnum aut pudor) Tum enim obſequio potior eſt veritas.

Pag.25.v.10.Qui amici ſunt) Talis conuerſatio fuit inter Scipionem & Lælium,inter Ciceronem & Atticum.

Pag.25.v.28.Officioſe prolata reſpuunt) Talium etiam mentionem facit Seneca lib.3.de ira cap.10. vnde ſimilè hoc. *Vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad ſuſpicionem tactus condoleſcunt : ita animus affectus minimis offenditur, adeo vt quoſdam ſalutatio,epiſtola,oratio,interrogatio, ad litem euocent.*

Pag.26.v.1.Manu in carpum) Καρπὸς *inter* alia etiam Græcis ſignificat iuncturam manus cum cubito.Ariſtot.de part animal. ἄρθρον ἢ χειρὸς ϗ βραχίονος καρπὸς.

Ibid.v.6.Extra ſeipſum) Subintelligit hominẽ ἐκστατικὸν ἔκστασιν,id eſt,mentis emotionem, ſeu ἐκ τὸς τοῦ σώματος paſſum.

Ib. v. 14. Ab aliorum conſuetudine abſtinerent) Contra hanc admonitionem peccauit Thomas Aquinas,qui Pariſiis cum Rege Galliæ cænans, animo alienatus,cum ne oculis quidem conniueret,tandem percuſſâ manu menſa exclamauit, Aduerſus Manichæos concluſum eſt.Quod factum cum Rex admiraretur, Thomas cũ rubore reſpondit,argumentum eo ipſo tẽpore ſibi in mentem veniſſe,quod Manichæorum dogma penitus euerteret. Ita B. Bernhardus cum ad ripã Lauſanenſis lacus toto die iter feciſſet, & fratres itineris illius comites veſperi de lacu illo

illo multa verba facerent, rogauit eos Bernardus, vbi lacus ille fuiſſet, cumque rem omnem audiuiſſet, miratus eſt, eumque lacum à ſe viſum negauit.

Ibid. v. 22. Vitrorum inſtar.) In quos quadrat hoc epigramma:

Quid facit Aphthonius? vitreum ſe credit, ab omni,
Sic ſibi, ceu nimio forte, labore cauet.
Eiice ſi ſapis, hunc animum ſegnem atque puſillum.
Vſq; adeo vitreos non decet eſſe viros.

P. 27. v. 11. Supra modum ſeipſos amant. Quod ſane faciunt ſine riuali φίλαυτοι & αὐτάρεσκοι, illi ſibipſis nimium placentes.

Nam ille placet ſtulto qui placet ipſe ſibi.

Pag. 28. v. 6. Ruborem incutiat) Vt ſi quis in præſentia perſonarum de pudicitia ſuſpectarum laudet caſtitatem Ioſephi, aut Lucretiæ. Aut in præſentia gibbo, vel caluitie deformium narret Therſitæ deſcriptionem ex Homeri 2. Iliad. cuius hæc eſt ſententia.

Hic deformi omnes, ſuperabat corpore Graios,
Diſtortis oculis, talo vitiatus in vno,
Pectore gibboſis humeris coeuntibus arcto, &c.

Aut in conuentu militum glorioſorum vituperationem inſtituat Thraſonis, aut in præſentia puellarum de partu & puerperiis agat.

Ibid. v. 12. Contra Deum & ſanctos) Si enim in genere, οὐχ᾽ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ᾽ ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. hoc eſt. Impiũ eſt inſultare mortuis; quanto

magis impium erit vere ſanctis inſultare, aut parum honorifice de iis loqui.

Ibid. v.16. Ioannis Boccatii) Patria Florentini; cuius multa exſtant opuſcula hiſtorica & geographica. Liber centum nouorum, qui hic indicatur, eſt ſcriptus lingua Italica magna ex parte plenus iocis & vanitatibus. Claruit Boccatius Anno Chriſti 1370.

Ibid. verſ. 24. Qui iis ex locis cupide diſcedant) Quod feciſſe aiunt Ioannem Apoſtolum & Euangeliſtam, cum Epheſi in balneis blaſphemias ſuas euomeret Cerinthus. Ipſe enim ex balneis eſt egreſſus, & diſcipulos egredi iuſſit. Quo facto mox balnea corruerunt, & Cerinthum cum ſuis oppreſſerunt. In Aphrica Olympius Epiſcopus Arianus cum itidem in balneis ſacroſanctam Trinitatem blaſphemaſſet, ſubito fulmine ictus & multis videntibus combuſtus eſt. De Deo autē & rebus diuinis caute & reuerenter loquendum etiam Plato in Cratylo & alibi cenſet, qui & Homerum ob temere confictas de Deorum rixis & libidinibus fabulas, grauiſſime reprehendit.

Ibid. v.30. Etiam propria vitia in aliis oderunt) Vnde Germanico prouerbio dicitur, Nullam matrem tam malam eſſe, quæ ſuos liberos ad honeſtatem non cupiat educari.

Ibid. v.31. De rebus perſonis audientibus contrariis) Vt ſi in conſeſſu anicularum de modeſtia adhibenda in choreis, vel de iucundo matrimonio, & pie educandis liberis verba quis faciat,

faciat, rectius facturus ſi de præparatione ad εὐθανασίαν eaſdem moneret.

Pag. 29. v. 7. Hiſtoria melancholica.) Contra quod multi peccant, qui in conuiuiis nihil norunt dicere, quam de morbis & morte, nec non de furum, prædonum, piratarum & veneficarum extremis & capitalibus ſuppliciis, quibus auditoribus horrorem incutiunt, non hilaritatem conciliant.

Sinapis acrimonia) de qua Columella,

Seque laceſſenti fletum factura ſinapis,
Atque oleris pulli radix lacrymoſaque cepa.

Vnde prouerb. κρόμμυα ἐσθίειν, cepas edere, pro lacrymari, de quo Eraſm. Adag. Chil. 3. cent. 2. prouerb. 38.

Ibid. verſ. 31. Philoſtratus apud Bocatium) Locus eſt in Decamerone lib. 4. Nouella 9. Vbi hic ipſe Philoſtratus narrat, quomodo quidam in Prouincia Gallica nobilis Roſſiglio, alterum nobilem Guardaſtagnum vxoris ſuæ adulterum per inſidias lancea traiecerit, eique ex pectore ferro aperto, ſua manu cor extraxerit, & illud ipſum cor in minuta à coco redactum & opipare conditum vxori ſuæ adulteræ dederit deuorandum. Quomodo item adultera re cognita ex alta feneſtra præcipitem ſe dederit, & mox Roſſiglione in fugam verſo, vna cum Guardaſtagno adultero in vno eodemque monimento fuerit ſepulta.

Pag. 30. v. 13. Scirtus) Vti libuit hoc nomine pueri Terentiani, pro quolibet nomine puerili.

Græcis autem σκιρτάω eſt ſalio & ſalto. Sunt autē pueri maxime σκιρτητικοὶ, cū exultare & laſciuire ſoleant. Quo & Horatius reſpexit in arte.

Reddere qui voces iam ſcit puer & pede certo,
Signat humum geſtit paribus colludere.

Ibid. v. 9. Somnia) Refero huc illa Eccleſiaſtæ Salomonis c. 4. verſu 6. *In multitudine ſomniorum, & vanitates & verba ſunt multa.*

Item Syracides c. 34. v. 2. *Qui captat vmbram & perſequitur ventos, ita eſt qui ſe adhibet ſomniis. Somnia vana ſunt, & multos ſeduxerunt, & exciderunt qui ſpem in iis habuerunt.*

Ibi. v. 31. Sapientes in libris ſuis ſomnia) Quale eſt ſomnium Scipionis, & ſexto de Rep. item ſomnia à Cicerone libris de diuinatione incluſa.

Pag. 31. v. 10. Somnium Tomarocii) Hoc ſomnium tantopere laudat, quia diſcretionem ante omnia nobis commendat, qua ſane ipſa præditi qui ſunt, ab inepta illa ſomniorum recitatione abſtinebunt.

Ibid. v. 18. Ecligmata) Latine Illinctus, medicamenta ſunt, quæ ori indita ſenſim liqueſcunt & degluriuntur. Germanice Ein Lattwerge/ ab ἐκλείχω illingo.

Ib. Hypotrimata) ab ὑποτρίβω ſubtero, bellaria ſaccharata, Confect/ vnd gebacken Zucker.

v. 22. Ampulla) vas vitreum, ventre amplo.

P. 32. v. 16. Diſcretio) ſeu διάκρισις, δοκιμασία. Danæo in Ethicis Chriſtianis eſt examē ſeu diſquiſitio diligēs inter duo, quorum alterum reipſa tale eſt, quale nobis apparet; alterum fal-

ſam

ſam tantum illius, quod eſſe creditur, imaginẽ & ſpeciem externam præſefert & gerit. Eſt igitur Diſcretio nõ tam virtus, quam quædã prudẽtiæ ſubſeruiẽs moderatrix & auriga affectuum, & morum bonorum doctrix, omni ſcilicet virtuti ordinem, modum, decorem præſcribẽs. Italis: *La diſcretion è madre delle virtu.* h. e. mater virtutis. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſaq; affectio naturalis in perturbationem cõuertetur, vt Bernardus loquitur. Ante quem Gregorius quoque monuit, Neceſſe eſſe vt non ſolum intueamur quod agimus, ſed etiam cum quantâ diſcretione agamus. In ſacris quoq; commendatur Spiritus Διακρίσεως. Germanis Geſcheidigkeit oder Beſcheidenheit. Vitium ei contrarium dici videtur poſſe ἀκρισία Unbeſcheidenheit.

P. 32. v. 15.) Vbi ait, viros bonos & eruditos, etiam cum dormiunt, meliores, ſapientioreſq; eſſe improbis & indoctis: alluſiſſe videtur ad locũ quendã Ariſtotelis, qui eſt in primo Ethicorum, non longe à fine, vbi cum indicare vellet, quid boni ab improbis in ſomno different, inter alia his verbis ex Græco redditis vſus eſt: *Atqui bonus ab improbo in ſomno minime internoſcitur. Hinc negant inter beatos ac miſeros per dimidiatum vitæ tempus quicquam intereſſe. Idque iure ac merito accidit, propterea quod ſomnus animi eſt requies, qua ratione bona dicitur vel mala: niſi ſi quo modo motiones quædam ſenſim oriantur, eoque meliora viſa ſint proborum quam quorumlibet ſomnia.* Plutarchus quoque in libello de pro-

fectu in virtute, Zenonis ſententiam ponit, qui dicere ſolebat, etiam ex inſomniis ſuis vnumquemq; ſentire poſſe ſuos in virtute profectus, cum videlicet animaduertat ea prioribus ſomniis honeſtiora & meliora eſſe.

P.33.v.9.Temporis ſucceſſu) Vere enim Menander: Ψευδόμενος οὐδεὶς λανθάνει πολὺν χρόνον.

Ib. v.10.Fides non habetur) Etiam vera loquentibus, teſte fabula de Paſtore, lupum gregem inuaſiſſe falſo in vicinia clamante. cui poſtea vere idipſum nuncitanti fidem habere voluit nemo.

Pag.35.v.9.) De extenuatione ſuiipſius nimia agens, notat vitium, quod in defectu humilitati oppoſitũ eſt, & ab Ariſtotele vocatur φαυλοπανουργία, ab aliis modeſtiæ & humilitatis ſimulatio, quæ eſt duplex ſuperbia. In admiratione enim ſui ſeipſam extenuat, & negatione eorum, quæ tamen in animo ſibi ſeu vere, ſeu falſo tribuit, & recuſatione bonorũ & officiorum, quæ maxime tamen expetit, & conſequi clam conatur; vel laudationem ſui, vel opinionem humilitatis & modeſtiæ venatur. Canon autem huius obſeruationis eſſe poteſt illud vulgatum: *Nec te collaudes, nec te culpaueris ipſe: Hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis.*

Ib.v.14.Iottum) Iottus hic ante annos 260. pictor & architectus fuit eximius Florentiæ, vbi hodie adhuc hoc eius monimentum viſitur:

Ille ego ſum per quem pictura extincta reuixit,
Cui quam recta manus, tam fuit & facilis.
Naturæ dederat noſtræ quod defuit arti,

Plus

Plus licuit nulli pingere nec melius.
Miraris turrim egregiam ſacro ære ſonantem?
Hæc quoque de modulo creuit ad aſtra meo.
Deniq; ſum Iottus, quid opus fuit illa referre?
Hoc nomen longi carminis inſtar erit.
Obiit anno 1336.

Fuit alias homo deformis. Quod Magiſter ſalutari noluerit recitat Boccatius Giornata VI. Nouella V: vbi etiam inſigne eius extat elogium.

P. 36. *v.* 7. *De ſeipſo tacere*) non περιαυτολογεῖν.

P. 37. *v.* 17.) Ceremonias illas ineptas maioribus ignotas fuiſſe ex eo arguit, quod nec nomen quidem habuerint, quo eas lingua vernacula exprimerent. Quæ ratio aliquo modo congruit cum illa Ciceronis in ſecundo de Oratore, vbi prolixe agit de voce Ineptus; & poſtea hæc ſubiungit: *Hoc vitio cumulata eſt eruditiſſima illa Græcorum natio. Itaque quod vim huius mali Græci non vident ne nomen quidem ei vitio impoſuerunt: Vt n: quæras omnia quomodo Græci ineptũ appellẽt, non reperies.* Adſcribere hic libet verba Theodori Bezæ ex Homilia II. in Cãticũ Cantic. Salomonis. vbi *Alludit,* inquit, *ad mores paſſim, omnique tempore viſitatos, quibus homines decentibus quibuſdam ritibus mutuam beneuolentiam demonſtrant; varie tamen ac pro cuiuslibet gentis more & arbitrio. Sic in his regionibus conſuetum eſſe videmus caput aperire, corpus inclinare, & procidere in pectus honoris atque amicitiæ ergo, talique geſtu ſeſe quodammodo alios aliis ſubmittere: dextras etiam alter alteri dare ſolemus, eo teſtantes, paratos eſſe nos facultates noſtras, atque*

adeo cor ipſum amicis tradere : ſed inter cætera neſcio quid ſingulare obtinet exoſculatio. Quum enim vita in reſpiratione ſita ſit, & ore ſpiritus meet ac remeet, os ori admouere, eſt veluti ſignum, nos libenter animam pene ipſam in amicum, ſi fieri poſſet, inſinuaturos. Qui mos ab omni æuo obtinuit; præſertim apud Orientales populos, & quidem inprimis iam olim inter populum Dei, atque adeo in Eccleſia Chriſtiana vetere tum Orientis tum Occidentis, vt apparet ex Rom. 16.16. & 1. Petr. 5.14. & aliis Apoſtolicarum Epiſtolarum locis.

Pag. 38. v. 5. Caput aperire) Tanquam partem corporis præcipuam, cuius nudatio ad alterius honorem facere videtur; & ſimul eodem geſtu aures quoque detegimus; eoque ipſo indicamus, nos ad audiendum, iuſſa capeſſendum, & obediendum, cum quodam prolubio, promptos eſſe.

Ibid. v. 6. Oſculari manus) Quod in Arriani Epicteto lib. 3. eſt, τὴν χεῖρα καταφιλῆσαι. Quam vetus autē ſit hæc conſuetudo, in honore alicui habendo, manū ſuam ad os admouendi, docet Muretus V.L. lib. 10. c. 2. his verbis. *Quod hodieque in conſuetudine poſitum eſt, vt in ſalutandis potentibus, aut in honore eis habendo, noſtram ipſi manum ori admouere ſoleamus, id quæſitum eſt ex me, num à veteribus quoque factitatum eſſet, an, vt alia pleraque, ita hoc quoque inepte adulandi genus, ſeruilia recentiorum aulicorum ingenia excogitaſſent. Reſpondi, eum morem vſque ab impia illa, & ridicula veterum, qui multos Deos colebant, ſuper-*

ſuperſtitione ductum ac propagatum videri. Solebant enim & illi, cum aut fanum aliquod præterirent aut lignum, lapidemue aliquem aſpicerent, in quo diuinitatis aliquid eſſe opinarentur: neque enim vilior illis temporibus vllius rei quam Deorum, annona erat: manum ad os referre, & tenui murmure illos ligneos aut lapideos deos, vt ſibi fauerent, precari, Ouidius:

Ecce lacu medio ſacrorum nigra fauilla,
Ara vetus ſtabat tremulis circumdata cannis.
Reſtitit, & pauido, Faueas mihi, murmere dixit.
Dux meus: & ſimili, Faueas mihi, murmēre dixi.

Apuleius apologia prima: Nam, vt audio, percenſentibus iis, qui iſtum nouere, nulli deo adhuc aui ſupplicauit; nullum templum frequentauit: ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere. Minutius Felix in Octauio: Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato, vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet manum ori admouens, oſculum labiis preſsit. Quo igitur geſtu illi diis ſuis honorem exhibebant, eodem nos hodie in potentibus ac fortunatis hominibus colendis vtimur. Hæc Muretus. In ſacris quoque litteris manum ori admouere, ſignum eſt ſibiipſi ſilentium indicētis, quod ipſum cum ſignificatione reuerentiæ & obſeruantiæ alicuius coniunctū eſt. Iob. 29. v. 8. & 9. Iobus ipſe de ſua priori inter ſuos populares dignitate & auctoritate ita loquitur: *Videntes me iuuenes abdebant ſe, ſenes vero aſſurgebant & ſtabant. Principes cohibebant ſermones & manum admouebant ori ſuo, &c.* Et ex eiuſdem Iobi

capite 31. de Idololatris dicitur, quod iam tum manu ori admota ſoliti ſint Idolis cultum exhibere, eademque phraſis repetitur cap. 40. v. 37. Vnde patet opinione vetuſtiorē eſſe hanc conſuetudinem. Inter Theologos enim doctiſſimi hiſtoriam Iobi referunt ad ea tempora, quibus Idumeis florentibus, Iſraelitæ in Ægypto commorabantur. de quo vide Bezæ paraph. in Iob. cap. 38.

Pag. 41. v. 22. Si ſingulari ad eundem numero) Non aliena ab hoc loco eſt narratiuncula, quā Eraſmus inſerit explicationi prouerbii. Virum improbum vel mus mordeat, quod eſt Chil. 1. Cent. 8. num. 96. *Medicus quidam, mihi vt patria communi, ita & amicitia coniunctiſſimus, ciuem quendam Londonienſem, virum egregie nummatum, & habitum adprime probum, arte curaque ſua liberarat, non ſine ſuo ipſius periculo. Nam is peſtilentiſſima febre tenebatur, &, vt fit in periculis, medico montes aureos fuerat pollicitus, ſi non grauaretur ſibi, in tanto vitæ diſcrimine dexter adeſſe, obteſtatus & amicitiam, quæ illi cum eo intercedebat. Quid multis? perſuaſit & iuueni, & Germano. Adfuit: nihil non fecit. Reuixit ille. Vbi verecunde de pecunia medicus admonuiſſet, eluſit nugator, negans de mercede quicquam addubitandum, cæterum arcæ nummariæ clauem penes vxorem eſſe. Et noſti, inquit, mulierum ingenia. Nolo ſentiat tantam pecuniæ ſummam à me datam. Deinde poſt dies aliquot hominem obuium forte factum iam nitidum, &*

nulla

nulla morbi veſtigia præ ſe ferentem, appellauit, & nondum datæ mercedis admonuit. Ille conſtanter aſſeuerare pecuniam ſuo iuſſu ab vxore numeratam eſſe. Medicus negare factum. Hic vide, quam anſam bonus ille vir arripuerit. Cum forte Medicus eum Latine numero ſingulari appellaſſet: ibi velut atroci laceßitus iniuria, Vah, inquit, Tu homo Germanus tuiſſas Anglum? moxque velut impos animi, præ iracundia caput mouens, diraque minitans ſubduxit ſeſe.

P. 43. *v.* 31. *Glandibus veſcebantur*) Quos vna voce Græci vocant βαλανοφάγοις q.d. Glandiuoros, is enim priſcis illis, ante inuentas fruges, cibus fuiſſe perhibetur. Vnde à frugibus ad glandes redire is dicitur, qui à melioribus regreditur ad deteriora.

*P.*44.*v.*23.*Ciuibus Rhodiginis*) Rhodigium oppidum in quodam quaſi Iſthmo poſitum inter Patauium & Ferrariã, patria Cœlii Rhodigini. hodie Rouigo, cuius meminit Leander ſub finem deſcriptionis Romagnæ di la dal Pop. 353. editionis Venetæ.

*Ibid.v.*25.*Aſulanis*) Aſula vel Aſola, caſtellum eſt in territorio Veneto, cuius meminit Leander in deſcriptione Marcæ Triuigianæ p. 481. eiuſdem editionis.

*Pag.*46.*v.*26. *Ex debito præſtat*) Quocirca idipſum iuſtius exigere quam rogare, & in mercedis potius quam beneficii loco numerari poſſe & debere videtur, vt fere loquitur Cicero epiſt. 6. ad Curionem lib. 2. Famil.

Ib. v. 30.) Mentionem facit dicti, celebris cuiuſdã & eximii Poetę, qui Heſiodus eſſe videtur, Is enim in ſecũdo operũ & dierũ hos verſus poſuit, aliquo modo cũ hac ſententia cõgruentes;

Μηδὲ πολυξείνου δαιτὸς δυσπέμφελος εἶναι.
Ἐκ κοινοῦ πλείστη δὲ χάρις, δαπάνη δ᾽ ὀλιγίστη.

Simile quiddam dixit Ouid. Amor. 3. El. 4.

Gratia ſic minimo magna labore venit.

P. 48 *v.* 12.) Narratiunculã de colloquio Oedipi cũ Theſeo deſumpſit ex Sophoclis Oedipo Coloneo, vbi inter alia hæc quoque verba Theſeo attribuuntur. *Οὐ γὰρ λόγοισιν τὸν βίον σπουδάζομεν. Λαμπρὸν ποιεῖσθαι μᾶλλον, ἢ τοῖς δρωμένοις.* Præclarius autẽ eſſe factis quã dictis excellere, etiã teſtatur Cicero in Lælio, his verbis; *Caue Catoni maximo & ſpectato viro ne iſtum quidem, quem Apollo ſapientiſſimum iudicauit, anteponas; Huius enim facta, illius dicta laudantur.* Quo nomine etiam Ludouicus Arioſtus poeta Italus celebrat ſuum Orlandum, ſeu vt nos eum vocamus Rolandum, Caroli Magni Imp. ex ſorore Bertha nepotem, cuius coloſſus in foro noſtro Bremenſi, ſicuti in aliis quoque vrbibus Saxonicis, tanquam priſcæ libertatis indicium conſpicitur. Verba Arioſti cantu 11. ſub finem hæc ſunt.

Perche Orlando a far l' opre virtuoſe,
Piu che a narrar le poi, ſempre era pronto.

h. e. Siquidem Rolandus ad faciendum plena virtutis opera, quam ad ea poſtmodum narrandum ſemper erat promptior.

P. 49. v. 8. Vanus; arrogans & ſtupidus) Qualis re-

lis repræſentatur Thraſo in Eunucho Terĕtiana.

Pag. 51. *v.* 12. *A boue fœnum in cornu habente)* Verba petita ex Satyra 4. lib. 1. Serm. Horatij, vbi de Poeta Satyrico, tanquam de Tauro cornupeta dicitur; Fœnum habet in cornu, Sic Romani M. Craſſum dicebāt Fœnū habere in cornu, quod vellicationum impatiens, acer & durus eſſet ad vindictam. Solebant autem Ruſtici boum cornupetarum cornu ſiniſtro fœnum alligare, vt obuij eo ſigno moniti, ſibi ab eo cauerent. Et de Cæſare dicitur, quod Craſſo fœnum detraxerit, quod primus ſe ei acriter oppoſuerit.

P. 51. *v.* 16.) Reprehendit homines rixoſos, & in diſputationes & altercationes temerarias pronos, de quibus etiam Cicero in 2. de Oratore, *Omnium, inquit, ineptiarum, quæ ſunt innumerabiles, haud ſcio an vlla ſit maior, quam quocunque in loco, quoſcunque inter homines viſum eſt, de reb. aut difficilimis, aut non neceſſariis argutiſſime diſputare.*

Pag. 51. *&* 52.) Nimis pertinax in diſputando vincendi ſtudium reprehendit, quam ipſam admonitionem elegantibus hiſce Senariis expreſſit Nazianzenus.

Μὴ πάντα νικᾷν, μηδ' ἀεὶ σπουδὴν ἔχε,
Καλῶς κρατεῖσθαι κρεῖσσον, ἢ νικᾷν κακῶς.

Pag. 52. *v.* 12.) De rudibus loquitur, quos ait raro mĕtem ab oculis & aliis ſenſibus ſeuocare, hoc eſt raro in cogitationes & meditationes ſerio incūbere. Anima enim quo plus diſtrahitur à ſenſibus, eo ratiocinatur melius. Quo plus ſenſibus indulget, eo ratiocinatio eſt hebetior.

P. 54. v. 18. Trochiſci & paſtilli Medicis ſunt medicaméta quęuis, ad rotulę aut orbiculi formá redacta. Eſt n. τροχίσκος Diminutiuum τρόχος.

Ib. v. 29.) Agit de certis quibuſdam hominũ generibus, quibuſcum nemo libenter cõuerſetur. Quo in loco reſpexiſſe videtur illa Ariſtotelis in octauo Ethic. Οὐδεὶς γὰρ δύναται συνημερεύειν τῷ λυπηρῷ, οὐδὲ τῷ μὴ ἡδεῖ Sicuti Iſocrates quoque vult, vt Demonicus ſuus non ſit δύσερις, δυσάρεστος, φιλόνεικος, φιλαίτιος, φιλεπιτιμητής, ſed poti⁹ ἀμιλητικὸς.

Pag. 55. v. 30.) Blæſus cui lingua eſt impedita & inexplanata. τραυλὸς Ein Liſpeler.

Ibid.) Loripes, cui in lori modum obtorta ſunt crura βλαισόπους Ein krumfuß/klunckfuß.

Ib. Gibboſos) Pertinet huc dicterium Auguſti Imp. qui *Galbæ, cuius gibbo informe corpus erat, agenti apud ſe cauſam, & frequenter dicenti, Corrige in me ſi quid reprehendis; Reſpondit: Ego te monere poſſum; corrigere non poſſum.* Macrob. Satur. lib. II. c. 4. Ita cum gibboſus quidam Leoni Byzantio imbecillitatem oculorum obieciſſet, reſpondit Leo; Humanam affectionem obiicis, cum in tergo feras ipſe Nemeſin.

P. 56. v. 2. Quod deformis.) Cum Galeottum Martium Matthiæ Coruini Regis Vngariæ pręceptorem, Venetus quidá ſtrigoſa proceritate, & impudicæ vxoris probro inſignis perludibriũ præpinguem porcum appellaſſet; conuerſus ad eum Galeottus, Pinguis inquit porcus, quam macer hirc⁹ eſſe malo. Ita Rodolphus I. Imp. cũ Naſum haberet aquilinum; in decliui anguſta-

que

que ſemita obuium habuit dicaculum quendã, qui ex ea ſemita cedere Regi à ſatellitib. aliquoties iuſſus, Regis, clamauit, Naſus viam implet, vt deflectere nequeam. Ad quod ſubridẽs Rex (alius inclementior bipennibus eum interfici iuſſiſſet) flexo in alterum latus naſo, præterire eum iuſſit. Huc & illud, C. *Iulii in Manciam. Iam oſtendam cuiuſmodi ſis. Cum ille, Oſtende quæſo, ibi ille demonſtrauit digito pictum gallum in Mariano ſcuto Cimbrico diſtortum, eiecta lingua, buccis fluentibus. Riſus eſt commotus. Nihil tam Manciæ ſimile viſum.* Vt Narrat Cicero 2. de Oratore. Non autem decere prudentem vitia corporis alteri obiicere, multis exemplis probat Muretus V. L. lib. 11. cap. 10.

Ibid. Inconſpicuus, puſillus) Sic Cicero Lentulum alias Dolabellam generum ſuum, exiguæ ſtaturæ hominem, cum longo gladio accinctũ vidiſſet. Quis, inquit, generum meum ad gladiũ alligauit. Nec Q. Fratri circa ſimilẽ mordacitatem pepercit. Nam cum in Aſia vidiſſet clypeatam eius imaginẽ, ingentibus lineamentis vſq; ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipſe ſtaturæ paruæ) Frater, inquit, meus dimidius maior eſt quam totus. Ita in 2. de Orat. *Cum puſillus teſtis proceſſiſſet, Licet, inquit rogare? Philippus, Tum quæſitor properans, Modo breuiter. Hic ille. Non accuſabis. Perpuſillum rogabo. Ridicule. Sed ſedebat iudex L. Aurifex breuior etiam quam ipſe teſtis. Omnis eſt riſus in iudicem conuerſus. Viſum eſt totum ſcurrile iudicium.* (1. de

P. 56. v. 27. Sibiipſi mirãdo) Ita. n. ipſe Act. 1. Sc.

hoc amore *Vah ait, quemquamque hominem in animo inſtituere aut parare, quod ſit carius, quam ipſi eſt ſibi?*

P. 57. v. 7. Artem tam dubiam) Pertinet huc aliquo modo illud Macrobii Saturnalium lib. 7. cap. 3. ad Auienum. *Cum videas anceps omne eſſe ſcommatum genus, ſuadeo in conuiuiis, in quibus lætitiæ inſidiatur ira ab eiuſmodi dictis faceſſas: & magis quæſtiones conuiuales, vel proponas, vel ipſe diſſoluas.*

Pag. 57. v. 18. Ludus eſt deceptio) Macrobius quoque cap. 3, lib, 7. *Scomma, inquit, pene dixerim morſum figuratum. quia ſæpe fraude vel vrbanitate tegitur: vt aliud ſonet, aliud intelligas.*

Ibidem) Amari inquit cauillatores facetos & iucundos. Sicuti Ariſtoteles quoq; ῥητ. β. Amabiles eſſe dicit, qui ſunt dextri in ludendo & iocando, aliorumque ludis & iocis perferendis & eludēdis. οἱ ἐπιδέξιοι ἐν τῷ θωθάσαι καὶ τῷ ὑπομεῖναι. Vnde apud Lacædemonios à Lycurgo eſt inſtitutū, vt adoleſcentes & ſcommata ſine morſu dicere, & ab aliis in ſe dicta perpeti diſcerent. Ac ſi quis eorum in indignationem ob tale dictum prolapſus fuiſſet, vlterius ei in alterū dicere non licebat. Talis fuit Aſinius Pollio Ciceronis æmulus, dictus leporum & facetiarum pater, & homo omniū horarum. Nec ei, ſi Suidæ credimus, diſſimilis fuit Siſinnius Nouatianorū Conſtantinopoli Epiſcopus, Moribus feſtiuus, & in congreſſibus iucundus, qui & lepide cauillari, & dicteria ſine offenſa ferre, & eleganter atque ex tempo-

tempore quæſtionibus reſpondere commodiſſime poterat.

Pag. 58. verſ. II. *Iocationes ab iniuriis difficulter poſſent diſcerni)* Talem iocationem his verbis recitat Macrob. Satur. 7. cap. 3. *Oculorum orbitas non ſine excitatione commotionis alteri obiicitur. Quippe Antigonus Rex Theocritum Chium, de quo iurauerat quod ei parſurus eſſet, occidit propter ſcomma ab eodem de ſe dictum. Cum enim quaſi puniendus ad Antigonum raperetur, ſolantibus eum amicis, ac ſpem pollicentibus, quod omnino clementiam regis experturus eſſet, cum ad eius oculos veniſſet, reſpondit: Ergo impoſsibilem mihi dicitis ſpem ſalutis. Erat autem Antigonus vno orbatos oculo. Hæc importuna vrbanitas, male dicacem luce priuauit.*

Ibi. v. 12. *Cum quibus propter naturæ duritiem)* Qua in parte peccaſſe videtur Cicero in Oratione pro Murena, iocans cum Catone, à quo audire coactus eſt illud. Vah quam ridiculum Conſulem habemus. Qui ipſe ſcurra Conſularis à Vatinio quoque dictus eſt. De fatuis idem præcipit vulgaris verſiculus:

Cum fatuis cari pueri nolite iocari.

Ibid. v. 22. *Caſtellum Laterinum)* Forte id, cuius in deſcriptione territorii Florentini ſeu Toſcanæ regionis meminit Leander Alberti p. 50. 6.

V. 27. *Vbi enim riſui locus non eſt)* Laſciuiæ huius intempeſtiuæ nonnulla exempla recitat. A. Gellius lib. 4. c. 20. inter quæ hoc poſtremum eſt. *Cenſores P. Scip. Naſica & M. Popilius cum*

equitum cenſum agerent; equum nimis ſtrigoſum & male habitum, ſed equitem eius vberrimum & habitiſſimum viderunt. Et cur, inquiunt, ita eſt, vt tu ſis quam equus curatior? Quoniam inquit, ego me curo, equum Statius meus ſeruus. Viſum eſt parum reuerens eſſe reſponſum, relatuſque in ærarios, vt mos eſt. Ita apud Terent. Clitiphoni deſperabundo roganti: Quæ ſpes? Syrus reſpondet: Nos eſuri turos ſatis.

P. 56. v. 26.) Facit mentionem Mitionis & Æſchini, qui locus notus eſt ex Terentij Adelphis Act. 4. S. 5.

Pag. 59. verſ. 1. Inſtar ouium non canum) Seu vt ſale tincti ſint, non bile. Vt cum roganti, Quid me allatras? alter reſpondet, Quia furem video.

Pag. 60. v. 5. Aſino illi AEſopico) Qui videns patremfamilias amanter complecti catulum Melitæum, epulanti accumbentem & circum ſubſilientem, caudamq; quaſſantem, & ſoni quoque aliquid iucundi proferentem, & nonnunquam in gremium quoque eius inſilientem: Idem & ipſe ſperans, ſi, pariter aſſultaret domino, euenturum ſibi, in illum irruit, quaſſans caudam, & rudens vt putabat, ſuo more abblanditur hero. Sed hic aduocatis ſeruulis, ineptias & peruerſum hoc Aſini ſtudium repulit, fuſtibuſque ſtultitiam eius correxit. Duo enim cum idem faciunt non eſt idem. Non quod diſſimilis res ſit, ſed quod is qui facit.

Pag. 60.

Pag. 60. verſ. 10. Ad vnumquodque verbum aliud quoddam) Vt Philippus Lippus, Caſimirus Irus, Marcus arcus, Vinoſus Oſus, Sacerdotium otium, Auguſtus vſtus, Muſculus culus, & ſimilia.

Ib. v. 13. Alios ſyllabas permutare) Quod fit in anagrammatiſmis ineptis & ridiculis, vt pro Polycarpus Policopros, Decretū Dreccetum, Vigilius Vormilius, Medicus mēdicus, Merdicus.

Ibid. v. 16. Siue aliqua ſubtilitate) Nam alias dicta ἀπροσδόκητα etiam apud Rhetores tanquā venuſta & gratioſa celebrantur. Vt hæc Plautina in Amphytrione, Quiſquis huc venerit pugnos edat. Apage, non placet me hoc noctis eſſe, cœnaui modo. Item hoc à Ioan. Iou. Pontano de Sermone lib. 4. c. 2. allatum. Stabat ſutor ſenex, cui ad naſum pendebat pituita grandiuſcula & pellucida. Hunc præteriens quidam dicaculus iocādi opportunitatē nactus, Perpulcrum inquit adamanta & precioſum? Tū ſutor, Et anulo tuo dignum. His quæ hic ponuntur ſimilia ſunt illa ex Plauti amphytr. Merc. Næ tu hodie huc aduenisti conſutis dolis. Sos. Imo tunicis conſutis huc aduenio, non dolis, Merc. At mentiris etiam, certe pedibus nō tunicis venis.

Ibid. v. 23. Ab aliis doctoribus & artificibus) Rhetorib. videlicet & Oratorib. Tractat autem hāc materiā de iocis & ridiculis exprofeſſo Cic. lib. 2. de oratore, & poſt eum Io. Iouianus Pontanus de Sermone, libro paulo ante indicato.

P. 61, v. 18. Sannionum ineptias) Sanniones di-

Pag. 64. v. 8.) Tantalus ex xi. Odyſs. Homeri, & ex prima Satyra Horatij notus eſſe poteſt, vbi dicitur:

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina quid rides? mutato nomine de te,
Fabula narratur, congeſtis vndique ſaccis,
Indormis inhians & tanquam parcere ſacris,
Cogeris aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Euclio ex Plauti Aulularia primus litteris vel leuiter tinctis notus eſt.

P. 65. v. 17. *Rancida & exoleta*) Qualia ſunt ab vltimis & iam diu obliteratis repetita temporibus; vt Topper pro cito. antigerio pro valde. Nauſtibulum pro alueo ſimilitudinem nauis habente. Calpar pro nouo vino. Lucar pro ære ex lucis accepto, & ſimilia. Quibus in oratione latina qui vtuntur, non diſſimiles ſunt tyranno Mezentio: *Mortua iampridem iungenti corpora viuis.* Iidem perinde faciunt, ac ſi quis hodie in Germanico ſermone recitare vellet orationem Dominicam, eo modo quo recitata eſt ante annos ſeptingentos.

Fater vnſer/du im himele biſt. din namo werde geheiligot. din Riche chome. din willo geskehe in erdo alſo im himele. vnſer tagelicha brot kib vns hinte. vnd vnſere ſchulde belaß vns / als auch wir belaſſend vnſeren ſchuldigē. vnd in chorūge nit leiteſt du vnſich / nu beloſe vnſich fone vbele. Amen.

Quo nihil eſſet abſurdius; nihil magis ridiculum. Si enim, quod apud Gelliū Cęſar ait, *Inuſitatum verbum non aliter quam ſcopulus in orationem*

vitandum eſt, quid de his verborum monſtris e-rit ſentiendum?

Ib. v. 4. Voces homonymæ) Quæ alias dicuntur Æquiuocæ, quæ vno vocabulo res duas aut plures ſignificāt, vt Cancer, Taurus, Liber, Phœnix, Volo. Sicuti Synonymæ, quę duob. aut pluribus vocabulis rem eandē ſignificant, vt Enſis, gladius, Scutum, clypeus. Aqua, vnda, lympha, Nais. Pontus, æquor, mare. Quod autē ibidem ait, voces homonymas in conformatione ænigmatum conſtrui, exemplo eſſe poſſunt hæc ænigmata Iul. Cæſ. Scaligeri.

Ore gero gladium, matriſq́ in pectore condo,
Vt mox quæ nunc ſunt mortua viua colas.
Dux meus à tergo caudamq́ trahens retrahenſq́,
Haſta, non me, vt eam verberat, aſt alios.

Quibus verbis ſignificatur Aratrum. Ænigma ita Germanicè reddidi.

Mein Schwerdt im Maul die Mutter ſticht/
Das von jhr komm das beſte Gericht.
Mein Furer folgt mir hinden nach/
Dem macht mein Schwātz viel Vngemach.
Den zeucht er auff/den truckt er nider.
Den ſchüttelt er krumb hin vnd wider/
Sein Spies mich gar nicht rüret an/
Stupfft damit zween Cornüten an
Daß ſie beyd tapffer gehen von ſtatt/
Dann er hievon ſein Nahrung hat.

Item hoc eiuſdem:

Eſt dorſum tumidum, ventris planiſſima ſedes.
Summa ſibi dentes cauda reflexa tenet.

Inteſti-

Inteſtina foris ſunt, è quibus edere vocem,
Quod nequit, ipſa ſibi muta miniſtra facit.

Hoc eſt Teſtudo, quam ita Germanice feci loquentem:

Mein Bauch mir ſtehet hinderwerꝛ/
In meinem Leib iſt gar kein Hertz/
Kein Leber/ Lung/ kein Miltz noch Mag/
Das Gedern ich auff dem Rucken trag/
Der iſt ſo glatt/ ſo platt vnd eben/
Ein ſchöne Roß darauff thut ſchweben/
Sampt einem Steg gar eng vnd ſchmal/
Seynd vngerüret ohne Schall.
Der krumb Schwantz ſtehet mir oben auß/
Dar guckt ſo mancher Zahn heraus/
Ob ich wol ſtumm bin gar vnd gantz
Doch ſchlagn die Stummẽ auff mir ein Tãtz.

P.66.v.25. *Patriam linguã*) Quod de ſua etiã Romana lingua præcipit Cicero 1. Offic. *Sermone eo vti debemus qui nobis eſt notus, ne, vt quidam Græca verba inculcantes, iure optimo irrideamur.*

P.67.v.4. *A ſingularib. iſtis.*) Vt ſi pro Apocha, in gratiam barbari vocem illam non intelligẽtis dicas Quitantia. Si pro, Iliacos intra muros peccatur & extra; dicas, vnus diabolus eſt tã bonus, quemadmodum alius. Pro, Fallacia alia aliã trudit; vnus nequam venit ſuper alium: Quo etiam refero ridiculum illud Bartoli de Falcone. vbi; *Ruſticus inquit Falconem cuiuſdam nobilis venatoris perditum reperit, cum gettis & ſonaliis, quem poſuit ſub banco, & dedit ei beccare panem.*

P.67.v.9. *Verbis inquinatis*) Qua de re etiam

præcipit Iſocrates Demonico cum ait: ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλὸν,

Ib. v. 11. In ſono & voce) Qualia in Latina lingua videri poſſint: Bracca, Rauduſculum, Coxendix, Coccyx, Caudex. Item omnes fere voces huius verſiculi coniunctim conſideratæ:

Xanthe retro propera verſiq; recurrite riui.

V. 17. In eorum locum magis decentia ſubſtituere) Vt ſi pro prodice aut natib. dicãt ſedes. Procloaca aut latrina, locus ſecretus, pro mẽtula, menta puſilla. Ita decentius dixeris Clyſteris vſum monſtrauit Ibis, quæ roſtro adunco per eã corporis ſui partem ſe periuit, qua redduntur cibi reliquiæ, quam ſi dicas per anum aut culũ, ſtercora. Præcepti huius non ignarus Cicer. 2. de Natura Deorum ita loquitur: *Quemadmodum autem reliquiæ cibi depellantur tum aſtringentibus ſe inteſtinis, tum relaxantibus, haud ſane difficile dictu eſt, ſed tamen prætereundum, ne quid habeat iniucunditatis oratio.*

V. 19. Verbum quoddam excidit) Qualia in Italica lingua ſunt Cazzo, pro mẽbro virili, Potta, pro genitali aruo, ſeu Ianuuio.

Ib. v. 30. Magis aut minus honeſtum) Ita honeſtius dixeris Laſanum, quam receptaculum ſtercorum. Mitram, quã inuolucrum teſtium. Curucam quã maritum vxoris mœchæ. Poſteriora, quam anum. Coprophorum quam purgatorem aut exoneratorem latrinæ vel cloacæ. Quot ſedes habuiſti? quam quoties cacaſti?

Pag. 68. v. 10. Poeta quidam.) Sc. Martialis, qui

lib. 8.

lib.8 Epigr.14. In crudelem amicum hoc quoq; diſtichon ponit: *Hybernis obiecta Notis ſpecularia puros. Admittunt ſoles & ſine fece diem.*

Ibid.v.18. Prouerbia.) Quorum, loco omnium, in Latina & Germanica Lingua exemplum ſit, verſiculus hic prouerbialis;

Hoc ſcio pro certo, quod ſi cum ſtercore certo,
Vinco vel vincor, ſemper ego maculor.

Cuius ſententiã Germani ſatis inquinate ſic efferunt: **Wer mit einem Dreck rammelt/der gehet beſchiſſen darvon.** Cuius etiam generis hoc eſt, ſi Germanice efferatur: qui in hypocauſtum aulicum reliquias ventris excernat, & qui eaſdem expurget, eandem gratiam mereri. Nec non vulgatum illud hoc diſticho expreſſum.

Stercora mande, caca obryzum non inuidus aurum:
Sic tua vel quauis eſſe puella volet.

P. 69. v. 4. *Cum errorem vtrique veſtrum facies communem.*) Id quod in admonitionibus quoq; & obiurgationibus amicorum facere iubet Plutarchus in libello de diſcrimine adulatoris & amici. Vt nimirũ, ſi quam alteri obiicimus culpã, in ea nos quoq; ipſos eſſe quouis modo fateamur. Beneuolentiam enim & auctoritatem monitori hoc modo conciliari cenſet, adducto illo Iliad.λ. Cur nos virtutis Tydida obliuio cœpit?

P. 68. *Si modo ea quæ loqueris vera ſunt.*) His enim verbis non obſcure aliquem argueres mendacij. Quocirca aliquo modo molliẽda ſunt talia, vt Cicero fecit. 1. dè Nat. Deor. cum Demo-

criti quandam opinionem ſtultitiæ arguere volens, ſic ſcripſit : *Quæ quidem omnia ſunt patriæ Democriti quam Democrito digniora.* Patria autem Democriti fuit Abdera, fatuitate nobilis, vnde ἀϐδηριτικὸν pro ſtulto.

Pag. 60. v. 28. Inter oſcitandum) cauſam indidicauit pluribus ſupra p.8.

P. 71. v. 1. Balbus) Qui balbutiunt Græci dicũtur βατταρίζειν iiſque hæſitãs, & impedita eſt lingua. τραυλίζειν dicuntur Blæſi, qui ſuum vitium quod τραύλωσις ægre pronunciant, quandoquidem pro τρ, ſonant τλ. Eo aliquãdo laboraſſe ferunt Demoſthenem, ita vt artis ſuæ Primam litterã recte pronunciare non poſſet, pro ρ. videlicet λ. proferens ψελλότητα definiunt, quũ quis litterã aut ſyllabam ſupprimit, pro πιστεύω dicẽs πιτεύω. & ſimilia. In quibus corridẽdis nõ infeliciter laboraſſe ſcribunt Demoſthenẽ, & Metellum Pontificẽ in voce Opifera rite exprimenda nec nõ Imp. Maximilianũ I. Friderici tertii filiũ ꝗ in pueritia pene elinguis; perfecta ætate eloquentia omnib. notis & exteris fuit admirabilis.

P 71. v. 27. A Poeticis loquendi modis in familiari ſermone abſtinendum) Exempli cauſa cum dicere voles proſa oratione, veſperam ingruere, non dices cum Virgilio:

Aſpice aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci,
Et iam ſumma procul villarum culmina fumant
Maioreſq; cadunt altis de montibus vmbræ.

Cũ indicare voles te patria tua delectari, nõ dices volupe tibi eſſe: *Fumũ de patris poſſe videre focis.*

Pro

Pro impetu nõ dices Impete. nõ Lamna pro lamina. non Valdius pro Validius. atq; ita de reliquis. Eadem admonitione notari videtur Poetaſtri inepti & futiles, qui verſiculis leuiter & cũ oſtentatione effuſis obuios cõpellant, aut proſa oratione ipſos cõpellãtib. carmine reſpõdent, & ſibi quoq; tũc cõuenire putãt illud Ouidianũ.

Quidquid conabar dicere verſus erat.

P. 72. v. 14. *Si nimirum de materia)* Continent hęc & ſequẽtia verba ſex quaſi pręceptis cõprehenſas omnes artis Rhetoricæ partes earundẽque quaſi nucleum. Siue de inuẽtione, diſpoſitione, elocutione, vel etiã pronunciatione quæſtio ſit. Quibus ſi (maxime in hiſtoriarũ narratione) ſex bonarũ narrationum elementa, quæ græci Rhetores διηγημάτων ςοιχεῖα vocãt adiũxeris, eaq; in narrando dextre & concinne adhibueris, nihil eſt quod eo in genere magnopere ſis deſideraturus. Ea aũt ſunt Perſonæ, Factũ, Locus: Tempus, Modus, Cauſa. Si etiã pueri & adoleſcentes ſtudioſi in ſtyli exercitationib. ſex has admonitiones ſemper in conſpectu habuerint breui fructum eius diligentiæ percipient & ſentient vberrimũ. Exempla talium Narrationum eſſe poſſunt, ea quæ ſupra p. 10. de Comite Richardo & p. 31. de Somnio Tamarotii, item quæ paulo poſt in his ipſis Notis de pictore Zeuſide ex Cicerone commemorantur.

P. 73. v. 13. *De naui loquitur, quæ etiam velis* contractis mouetur. Cui quiddam ſimile habet Ariſtoteles in lib. de inſomniis c. 2. circa principiũ.

Quamuis enim ibi Philoſophus non de motu nauis, ſed de ligno aut lapide manu hominis violenter proiecto loquatur : tamen in genere hi duo loci inter ſe conſentiunt. Verba acutiſſimi Philoſophi hæc ſunt : καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν φερομένων, τοῦ κινήσαντος οὐκ ἔτι θιγγάνοντος, κινεῖται. &c.

Ib. v. 30.) De iis agit quæ iram hominis prouocent. Inter quæ præcipuum eſt, ſi deſiderium & voluntas alicuius ex improuiſo impediatur. Quibus verbis exprimitur ἐπηρεασμός, de quo Ariſtoteles lib. 2. Rhetoricorum, ἔστι γὰρ ὁ ἐπηρεασμὸς ἐμποδισμὸς ταῖς βουλήσεσιν, οὐχ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλ᾽ ἵνα μὴ ἐκείνῳ, &c. Quorum verborũ ſentẽtia eſt ἐπηρεασμὸν eſſe ſtudium alteri aduerſandi, ac conatus deſideriaq; eius impediendi, non vt commodum aliquod ipſe ea ex re nanciſcare ; verum vt eius commoda & deſideria corrumpas, cuius quidem ἐπηρεασμοῦ exempla nonnulla hic recitantur, quibus adde quod ſequitur: Pleno curſu ad metam contendentem ſubito & ex improuiſo retrahere, item illud in Terentij Hecyra, vbi actionem eius fabulæ interrupiſſe dicitur Funambulus.

P. 75. *v.* 26. *Qui minimum ſcit plurimum loquatur*) Sicuti etiam ſtulti, primi ſuam dicunt ſententiam. Nam dolia inania ſi pulſentur, maximum ſonum edunt, plena vero minimum. Nam vt Demaratus dicebat ὁ μωρὸς οὐ δύναται σιωπᾶν, Stultus non poteſt tacere.

P. 67. *v.* 22. *Nimia taciturnitas.*) Hoc illud Theophraſti qui ad quendã in conuiuio tacen-

tem

rem dicebat εἰ μετὰ ἀμαθὴς εἶ, φρονίμως ποιεῖς. εἰ δὲ πεπαίδευσαι, ἀφρόνως. h. e. Si indoctus es, prudenter facis, ſi vero doctus, imprudenter.

Ibid. v. 15. Symbolam conferre) Quæ Ciceroni 2. de Oratore collecta eſt, vbi dicit: Quoniam collectam Craſſe à conuiua exigis. Eſt igitur Symbola (ſic dicta à συμβάλλειν zuſamen ſchieſſen) collatio in cœnę apparatum ſiue pecuniaria ſiue pænuria, vt Adr. Iunius loquitur, aliis cœna collatitia. vnde qui nihil ad tale conuiuium confert. Terentio eſt Aſymbolus, quem Virgil. 4. Georg. denotat hoc verſu:

Immuniſq; ſedens aliena ad pabula fucus.

Ibid. v. 28.) Meminit Polycleti, qui fuit patria Sycionius Ageladis diſcipulus, de quo hoc memorabile habet Ælianus Var. hiſt. lib. XIV. Inſignis hic ſtatuarius eodem tempore duo ſimulacra fecit, alterum ad arbitriũ plebis (ad ſingulorum ſcilicet reprehenſionem mutans aliquid & tranſponens) alterum iuxta peritiæ artiſque ſuæ normam. Tandem publice propoſuit vtrumq;. Cumq; alterum quidem admirationi, alterum vero omnibus ludibrio eſſet; atqui hoc inquit, quod vituperatis à veſtro iudicio & cenſura profectum eſt: hoc vero quod tantopere laudatis, ego mea arte & iudicio perpoliui. Oſtendere volens nihil vulgi iudicio temere tribuendum.

Ibid. Artifex clariß.) Reſpicit ad Græcum πολύκλειτος hoc eſt, valde celebris, à κλείω celebro. Nam πολύκλητος idem eſt quod à multis vocatus à καλέω.

P.77.v.6.*Canona*) κανὼν Regnla, norma, quid ſit, patet ex his verbis Æſchinis ὥσπερ ἐν τῇ τεκτονικῇ, ὅταν εἰδέναι βουλόμεθα τὸ ὀρθὸν, καὶ τὸ μὴ, κανόνα προσφέρομεν. Apud Plutarchum κανὼν καὶ κριτήριον coniunguntur. Sic Cicero alicubi vocat Tironē κανόνα ſcriptorū ſuoru, & apud Auſoniū nominantur Grammatici Canones, regulæ ſeu præcepta Grammatices, ad quæ tanquā ad normā ratio loquēdi dirigēda eſt. Ita Canon ſacrarum literarum eſt catalogus certorū liberorū, quorum inuiolabilis cenſetur auctoritas, & ad quos tanquā ad certiſſimam normā omnia religionis Chriſtianæ dogmata ſint exigenda. Græce κανονικὰ βιβλία. Quibus opponuntur, ἀκανόνιστα βιβλία, ſeu libri in Canonem illum non relati. Canonis Polycleti etiam meminit Plin. lib. 34. c. 8. his verbis: Fecit & quē Canona artifices vocāt, lineamēta artis ex eo petentes, velut à lege quadam, Soluſq; hominum artem ipſe feciſſe, artis opere iudicatur. De quo ipſo plura habet. Galenus lib. 5. περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα δογμάτων. his verbis: Ἐπὶ μετὰ γὰρ τοῦ σώματος ἀκριβῶς αὐτὰ διωρίσατο (ὁ Χρύσιππος:) τὴν μὲν ὑγίειαν ἐν τῇ τῶν στοιχείων συμμετρίᾳ θέμενος, τὸ δὲ κάλλος ἐν τῇ τῶν μορίων. ἐδήλωσε γὰρ σαφῶς τοῦτο διὰ τῆς προγεγραμμένης ὀλίγον ἔμπροσθεν ῥήσεως, ἐν ᾗ τὴν μὲν ὑγίειαν τοῦ σώματος ἐν θερμοῖς, καὶ ψυχροῖς, καὶ ξηροῖς, καὶ ὑχροῖς συμμετρίαν εἶναι φησὶν, ἅπερ δὴ στοιχεῖα δηλονότι τῶν σωμάτων ἐστίν. τὸ δὲ κάλλος οὐκ ἐν τῇ τῶν στοιχείων, ἀλλ' ἐν τῇ τῶν μορίων συμμετρίᾳ

συνίστασθαι

συνήστασθαι νομίζει, δακτύλου πρὸς δάκτυλον δηλονότι, καὶ συμπάντων αὐτῶν πρός τε μετακάρπιον καὶ καρπον, καὶ τούτων, πρὸς πῆχυν, καὶ πήχεως πρὸς βραχίονα καὶ πάντων πρὸς πάντα, καθάπερ ἐν τῷ πολυκλείτου κανόνι γέγραπται, πάσας γὰρ ἐκδιδάξας ἡμᾶς ἐν ἐκείνῳ τῷ συγγράμματι, τὰς συμμετρίας τοῦ σώματος ὁ Πολύκλειτος, ἔργῳ τὸν λόγον ἐβεβαίωσε δημιουργήσας ἀνδριάντα κατὰ τὰ τοῦ λόγου προστάγματα, καὶ καλέσας δὴ καὶ αὐτὸν τὸν ἀνδριάντα, καθάπερ καὶ τὸ σύγγραμμα κανόνα. τὸ μὲν δὴ κάλλος τοῦ σώματος ἐν τῇ τῶν μορίων συμμετρίᾳ κατὰ πάντας ἰατροὺς καὶ φιλοσόφους ἐστίν: hoc eſt, *Interprete noſtro Io. Caſelio, V.C.L. Etenim in corpore, ipſa exquiſite diſtinxit Chryſippus, ita vt ſanitatẽ in elementorũ, pulchritudinẽ in membrorum cõmenſuratione conſtituerit. Diſerte enim hoc indicauit in ſentẽtia paulo ſuperius ſcripta, qua ſanitatẽ corporis cõmenſurationẽ in calidis & frigidis, & in humidis & ſiccis eſſe dicit: quæ videlicet elementa ſunt corporũ: pulchritudine vero nõ in elementorũ, ſed in membrorũ commẽſuratione conſiſtere arbitratur: nempe digiti ad digitũ, & eorũ omnium ad palmã, & manus articulũ, atq; horũ ad cubitum, & cubiti ad brachiũ, & omniũ ad omnia; quẽadmodũ in* Norma Polycleti *ſcriptũ eſt. Cũ enim nos omnes in illo libro cõmenſurationes corporis Polycletus docuiſſet; opere doctrinã confirmauit fabricata ſtatua ad præcepta libri: indiditq; nomẽ Normæ, ſtatuæ quẽadmodũ & libro. Ita pulchritudo corporis conſiſtit in partiũ cõmenſuratione, ex omniũ medicorũ, & philoſophorũ ſentẽtia.* De Polycleto vide etiã, ſi libet, animaduerſa Hadriani Iunij lib. 4. c. 18.

P. 79. v. 17. *Dicit beſtias* per ſe ratõe planę deſtitui.

tui. Quod quomodo dextre acipiendum ſit. ſcire ſi libet, conſule Plutarchi Gryllum eiuſdemque libellum de ſolertia animalium.

P. 80. v. 30. *Natura neque calcaria neque freni)* Huc illud Prætoris cuiuſdam Itali, de compeſcēdis Iuuenum libidinibus vagis interpellato; *Chi puo bridare il cazzo?* Egregiam vero laudem.

Pag. 81. v. 8. Caniiam.) Contra dictum Spartani illius, qui interrogatus, cur barbam prolixam & canam iam aleret, reſpondit, vt canos aſpiciens nihil iis faciam indignum.

P. 82. *fit mentio Theodori* Tragœdi cuius etiam meminit Ariſtoteles lib. 7. Politicorum in extremo Ibi enim cum confirmare inſtituiſſet, oportere pueros abſtinere ab omni aſpectatione & auditione rerũ turpiũ, quod ea quæ primo in illa ætate audiuntur, firme admodum animis noſtris, etiam annis ſequentib. ſoleãt inhærere: idipsũ iudicio nobilis huius Tragœdi voluit cõfirmare. Verba ſapientiſſimi viri hæc ſunt. Ἴσως γὰρ οὐ κακῶς ἔλεγε τὸ τοιοῦτον Θεόδωρος ὁ τῆς τραγῳδίας ὑποκριτής. οὐδενὶ γὰρ πώποτε παρῆκεν ἑαυτοῦ προεισάγειν, οὐδὲ τῶν εὐτελῶν ὑποκριτῶν, ὡς οἰκειουμένων τῶν θεατῶν ταῖς πρώταις ἀκοαῖς. Hoc eſt, vt P. Victorius interpretatur. *Fortaſſe enim non male dicebat huiuſmodi quiddam Theodorus Tragœdiæ actor. Nulli enim vnquam concedebat vt ante ſe in ſcenam exiret, ne humili quidem hiſtrioni, vt conciliatis iam theatris primis auditionibus.*

P. 82. v. 29. *Multa enim pulcra* & formoſa eſſe poſſunt quæ propterea non habent Charin

ſeu

ſeu venuſtatem. Qua de cauſa apud Homerum v.6. Vulcano arma Achilli fabricaturo in officina ſua aſſidet vxor Charis, vt ſignificaretur operum Vulcani peculiaris quædam & gratioſa venuſtas, in aliorum fabrorum operibus non adeo conſpicua.

P.83. v.10. *De pulchritudine quid ſit diſputat.*) Cui loco lucem affert definitio pulchritudinis, quæ legitur apud B. Baſilium in explicatione Pſ. 44. Κάλλος ἐστὶ τὸ ἐν τῇ συνθέσει τῶν μελῶν εὐάρμοστον ἐπανθοῦσαν αὐτῷ τὴν χάριν ἔχον. hoc eſt. *Pulchritudo eſt illa ipſa in coagmentatione & compoſitione membrorum corporis proportio & concinnitas, cum gratia & venuſtate in ea florente coniuncta.*

Ibid. v.20.) Deformitas multa complectitur. Exemplo ſit monſtrum in principio Artis Poeticæ ab Horatio deſcriptum.

P.83. v.26. *Refero huc*) Indicæ illius fœminæ, præcipui cuiuſdam reguli vxoris inuſitatam & monſtroſam ſpeciem, ab Hiero. Benzone Mediolanenſi lib. 1. interprete Vrbano Caluetone ſic deſcriptam: *Nuda, vetula, virgata toto corpore ac depicta nigro, promiſſis ad pubem capillis. Præterea auriculis infimis adeo productis demiſſiſque vt in humeros vſque dependerent. Deinde per medium fiſſis, ac foraminibus inſertos anellos gerens leuiſſimos, è ligno elaborato. Vngues ei præter modum longi, atri, dentes, os patulum, nares perforata inſerto anulo, &c.* Quis nõ à tali monſtro abhorreat? contra τὸ καλὸν dictum volunt παρὰ τὸ καλεῖν. ὅτι πάντας ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ, vnde Ariſt. interrogatus, Qui fieret

vt pulcri tam facile amarentur? Cęci eam interrogationem eſſe reſpondit: Nam formoſa facies muta commendatio eſt.

P. 84. v. 8. *Pictor cuius hic meminit Zeuſis eſt Heracleotes. Hiſtoriam integre & elegantiſſime, vt omnia, recitat Cicero in principio libri 2. de Inuentione. quæ cum exemplum eſſe poſſet bonarum & concinnarum narrationum, de quarum conformatione præcipit Galateus p. 72. non cenſui eam hic prætermittendam. Ea autem talis eſt. Crotoniatæ quondam cum florerent omnibus copiis. & in Italia cum inprimis beati numerarentur templum Iunonis, quod religioſiſſime colebant; egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaq; Heracleotem Zeuſim; qui tum longe ceteris excellere pictoribus exiſtimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt, is & cæteras tabulas complures pinxit (quarum nonnulla pars vſque ad noſtram memoriam propter fani religionem remanſit) &, vt excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in ſeſe imago contineret, Helenæ ſe pingere ſimulacrum velle dixit. quod Crotoniatæ; qui eum muliebri in corpore; pingendo plurimum aliis præſtare ſæpe accepiſſent, libenter audierunt. Putauerunt enim eum; ſi quo in genere plurimum poſſet; in eo magnopere elaboraſſet, egregium ſibi opus illo in fano relicturum neque tamen eos illa opinio fefellit. Nam Zeuſis illico quæſiuit ab eis; quaſnam virgines formoſas haberent. illi autem ſtatim hominem deduxerunt in palæſtram; atque ei pueros oſtenderunt multos magna præditos dignitate. etenim quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus & dignitatibus anteſteterunt;*

ſteterunt, atque honeſtiſſimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt. Cum puerorum igitur formas & corpora magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt illi, ſorores ſunt apud nos virgines, quare quæ ſint illæ dignitate, potes ex his ſuſpicari. Præbete igitur mihi quæſo inquit, ex iſtis virginibus formoſiſſimas, dum pingo id, quod pollicitus ſum vobis, vt mutum in ſimulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tunc Crotoniatæ publico de conſilio virgines vnum in locum conduxerunt, & pictori quas vellet, eligendi poteſtatem dederunt. Ille autem quinq; delegit, quarum nomina multi Poetæ memoriæ tradiderunt, quod eius eſſent iudicio probatæ, qui veriſſimum pulchritudinis habere iudicium debuiſſet, neque enim putauit omnia, quæ quæreres ad venuſtatem, vno in corpore ſe reperire poſſe, ideo quod nihil ſimplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expoliuit. Itaque tanquam cæteris non ſit habitura quod largiatur ſi vni cuncta conceſſerit, aliud alii commodi, aliquo adiuncto incommodo, muneratur. Hæc Cicero quæ & paucioribus, licet paulo aliter expreſſit, Plin. li.35.c.9. in extremo vbi *Zeuſis*, inquit, *tanta diligentia, vt Agrigentinis facturus tabulam, quam in templo Iunonis Laciniæ publice dicarent, inſpexerit virgines eorum nudas, & quinq; elegerit, vt quod in quaq; laudatiſſimum eſſet, pictura redderet. Quam pingendi ratione in 3. Apomnemoneumat. Xenophontis etiam probant Socrates & Parrhaſius. Vbi etiam Theodota mulier formoſiſſ. quas honeſte poſſet corporis ſui partes pictoribus oſtendit depingendas.*

Quod autem auctor huius libelli Italici ſcribit, Simulacrũ Veneris in templo Iunonis Cratoniatas conſecrare voluiſſe, id tanquam ἁμάρτημα μνημονικὸν nõ male, vt arbitror, corrigens, ad Helenæ picturam, cuius etiã Cicero meminit, volui referre. Niſi quis forte dicere malit, pictorem hunc nobilem diuerſis vrbibus, in diuerſis quoque tabulis pingendis, gratificari voluiſſe. Quod etiam hic monendum exiſtimaui, ne quis Latina cum Italicis conferens, ſine cauſa hæc ab illis diſſentire arbitraretur.

Pag. 87. *v.* 12. *Alterum magis*, alterum minus. Prout ſcilicet homines aut gentes pro affectu ſuo de vitiis iudicant. In Italia maius vitium iudicatur ebrietas, quam adulterium. Apud Germanos contra.

Pag. 91. *v.* 23. *Collationem à duabus* domibus, quarum altera eleganter, altera inuenuſte ædificata eſt, deſumpſit ex Marci Varronis de re Ruſtica lib. 1. c. 4. Vbi ille de optimo fundo agens inter alia his verbis vtitur: *Hinc profecti agricolæ ad duas metas dirigere debent, ad vtilitatem & voluptatem. Vtilitas quærit fructum, voluptas delectationem. Priores partes agit, quod vtile eſt, quam quod delectat. nec non ea quæ faciunt cultura honeſtiorem agrum; pleraque non ſolum fructuoſiorem eundem faciunt, vt cum in ordinem ſunt conſita arbuſta atque olíueta: ſed etiam vendibiliorem, atque adiiciunt ad fundi pretium nemo enim eadem vtilitate non formoſius quod eſt, emere mauult pluris quam ſi eſt fructuoſus turpis.*

Quæ

Quæ eadem & ſequentibus paginis de motibus in conuiuio decentibus, præcipiuntur, nõ inconcinne illuſtrari poſſunt exemplo Plautini illius ſenis Periplectomenis, qui in milite glorioſo Act.3.Sc.1.hæc de ſe ipſo prædicat:

Vel cauillator facetus, vel conuiua commodus
Item ero; neque ego oblocutor ſum alteri in conuiuio,
Incommoditate abſtinere me apud conuiuas commode
Commemini, & meæ orationis iuſtam partem perſequi.
Et meam partem itidem tacere, cum aliena oratio eſt.
Minime ſputator, ſcreator ſum, itidem minime muccidus.
Poſt Epheſi ſum natus, non in Apulis, non ſum in Vmbria.
PA. *O lepidum ſenem, ſi, quas memorat, virtutes habet:*
Atque equidem plane eductum in nutricatu Venerio.
PER. *Plus dabo, quam prædicabo, ex me venuſtatis tibi:*
Neque ego vnquam alienum ſcortum ſubigite in conuiuio.
Neque præcipio pulpamentum, neq; præuorto poculum:
Neq; per vinum vnquam ex me oritur diſsidium in conuiuio.

Si quis ibi odioſus eſt, abeo domum, ſermonem ſegrego.
Venerem, amorem, amœnitatemque accubans exerceo.
Et quidem ædepol omnis mores ad venuſtatem iugiter.

Pag. 88. v. 12. Inſtar hirci olere.) Alludit hic ad verſum Horatij.

Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircum.

Qui extat ſermonum lib. 1. Sat. 2. & denuo eiuſdem libri Satyra 4. Tenendum eſt autem hac in parte illud Ciceronis Epiſt. 1. lib. 2. ad Atticum,

Mulieres ideo bene olere quod nihil oleant.

P. 89. v. 9. *Caſtrucius.*) Is fuit Caſtrucius Caſtracanis ex Antelminella nobili familia Lucenſis ciuis, qui ex mercatoris inſtitore miles, ex milite Dux inſignis factus, pertinaci virtute ad principatum contendit, nuſquam eius veſtigia, vadentis ad præclarum decus, fallente euentu. Eius effigies adhuc hodie Piſis elegantiſſime picta conſpicitur, Scribunt hũc ipſum multis iam ſeculis in Italia intermiſſam triumphandi conſuetudinem reſtituiſſe. Capto nimirum à ſe, & ante currum ttiumphalem ducto Raymundo Cardonio, Duce Florentino. Eius elogium habet Paulus Iouius lib. 1. Virorum bellica virtute illuſtrium, quod concluditur hoc Gabrielis Faerni epigrammate;

Qui iam obſoletam bellicæ artis gloriam
Caſtrucius Lucenſium Dux, Italis

Reſtituit

Reſtituit & pro factione Cæſarum
Etruriam quatefecit armorum ſono,
Nunc hic quieſcit paruus, è tanto duce,
Puluis, ciniſque, & nudula vmbra mortui.

Ib. v. 12. Ludouico Bauaro.) Qui electus eſt Cæſar anno Chriſti 1314. menſis Octobris, die 18.

Ibi p. 20.) Mentio fit Manfredi qui fuit ſpurius Friderici II. Imp. ex Blācha Marchioniſſa Mōtisferrati princeps Tarentinus & rex Siciliæ deſignatus. Vide Cranzium Saxoniæ lib. 8. c. 18.

Ibid. p. 23. Reges omni lege ſoluti videantur) Falſum hoc eſſe multis grauiſſimiſq; rationib. probat auctor libelli Gallici, cui Titulus eſt: DE LA *puiſſance du prince ſur le peuple*, &c. Ipſique adeo auguſtiſſimi Imp. Theodoſius & Valentinianus ſic ſcribunt ad Voluſianum Magnum præfectum prætorii, Codice De legibus. Lege 4.

Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri. Adeo de auctoritate iuris noſtra pendet autoritas: & reuera maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum. Et oraculo præſentis edicti quod nobis licere non patimur, aliis indicamus.

Pag. 90. v. 18. Vir honeſtus in via non curret) Huc referri poſſunt verba Ciceronis ex 1. Officior. *Vbi cauendum eſt*, inquit, *aut tarditatib. vtamur ingreſſu molioribus, vt ſimiles pomparum ferculis eſſe videamur, aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cum fiunt, anhelitus moueatur, vultus mutantur, ora torquentur, ex*

quibus magna ſignificatio ſit non adeſſe conſtantiam. Apud Senecam laudatur inceſſus compoſitus, cui apud Petroniũ cõtrarius eſt fictus ad mollitiem. Et apud Apuleium culpatur. *Superfluo inceſſu fœminam mentiri. item ſolutis genibus fractus inceſſus: nec non greſſum frangere, vel ludentibus pedibus incedere.*

P. 92. v. 4. Nunquam ſoluerent.) Gens ea fuit Perſica, cuius victus teſte Xenoph. lib. 1. Pæd. Cyri, tam moderatus & cum perpetuis laboribus coniunctus fuit, vt turpe apud Perſas eſſet ſpuere & emungi, atque etiam flatibus plenum videri. Quæ quidem fieri nullo modo poſſent, niſi & victu modico vterentur, & humiditatem per laborem conſumpſiſſent.

Pag. 92. v. 9. Singultus.) Qui certiſſimum diaphragmatis nimio cibo diſtenti, & propterea antegreſſæ γαστριμαργίας indicium eſt.

P. 94. v. 17. Propinandi conſuetudo in ipſa Græcia vſurpata.) Vnde Græcari & pergræcari latine dicti ſunt, qui luxuriæ & compotationib. liberiorib. indulgerent. Ita libro decimo Athenæi celebratur ex Homero: Νέστορος τοῦ τελγέροντος φιλοποσία. Αλκαῖος φίλοινες, λακεδαιμονίων περὶ πόσεις, φιλίππου καὶ Αλεξάνδρου πολυποσίας, Αντιόχος Φιλοπότης.

Ibid. v. 19. & 20.) Meminit cõpotationis Socratis cum Ariſtophane, cuius etiam mentio fit in fine Conuiuii Platonis. Alias in vniuerſa vita nihil Socrate fuit temperãtius, qui & ebrios in ſpeculo ſeipſos contemplari iubebat, & conſpecta ſua

ęta ſua deformitate, à vitio illo beluino deterrerentur. Scribitur autem in eodem conuiuio Platonis, Socratem, ſi quando (quod tamen admodum raro fiebat) in conuiuiis liberioribus cogeretur; omnes bibendo longiſſime ſuperaſſe: &, quod maxime eſt mirabile, Socratem ebrium neminem vnquam mortalium vidiſſe. Vide Gellium lib. 15. cap. 2.

P. 95. v. 14. *Cauſa* iniqua vincat. Quod in Ariſtoph. Nubibus eſt, *τὸν λόγον ἥττονα κρέιτονα ποιεῖν*. Ita teſte Gellio li. 17. 12. Phauorinus philoſophus libenter *ἀδόξους καὶ ἀτόπους ὑποθέσεις* tractabat. Itaq; Therſitē laudauit, & Febrē quartanam. Ita oſtentandi ingenii & eloquētiæ gratia Galba laudauit iniuſtitiā, Syneſius caluitium, Hortenſius vituperauit Philoſophiam. Nec noſtra ætate defuerunt, qui podagram laudarent, nec nō, qui ebrietatem. Inter quos iucunda cum recordatione nominare libet præceptorē olim meum Arnoldum Burenium, optimarum litterarum in ſchola Rhodopolitana inſtauratorem, & intemperantiæ oſorem acerrimum, qui in Academia Witeberga Ebrietatis encomium publice à ſe in magna frequentia recitatum, vt ſe nō ſerio peſtem illam verbis ornaſſe, ſed in materia infami ingenium exercere voluiſſe palam oſtenderet, ſtatim tota ſchola inſpectāte orationem à ſe habitam diſcerpſit. Inter laudatores ebrietatis etiā refertur à Plinio M. Antonius triumuir lib. 14. c. vlt. *Vbi ſanguine ciuium ebrius eun-*

demque, inſuper ſitiens, dicitur volumen de ſua ebrietate euomuiſſe, quo ſibi & vitiis ſuis patrocinatus ſit. Et extat pro ebrietate Oratio Gerardi Bucoldiani edita.

Ibi. v. 22. Socrates cum in aliorum reprehenſione creber eſſet) Socrates in Apologia Platonis, ſui illius moris cauſam affert. Mandatum Dei, cui ſibi neceſſario ſit obtemperandum. Illiuſque diuini mandati rationem exponit, & teſtem locupletẽ laudat, ſe nimirum oraculi voce omnium hominum ſapientiſſimum eſſe iudicatum, cuius oraculi ſignificationẽ dum exquireret, ſe omnium hominum ordines adiiſſe, id eſt & eos qui temp. adminiſtrarent, & Poetas, & mechanicos. Vbique autem in omnibus ſummam ignorantiam cum magna tamen arrogantia coniunctam cõperiſſe, atq; propter illum omnium ἔλεγχον in tam multorum hominum odia incidiſſe. Quod autem vir vere bonus (quod & ibidem à Galateo dicitur) fuerit Socrates, luculenter de eo teſtatur Xenophon, Apomnemon: lib. 1. vbi inter alia hæc quoque verba leguntur. οὐδεὶς δὲ πώποτε Σωκράτους οὐδὲν ἀσεβὲς οὐδὲ ἀνόσιον οὔτε πράττοντος εἶδεν, οὔτε λέγοντος ἤκουσεν. Qua laude omnibus fere noſtri ſeculi Chriſtianis fuit ſuperior. Quotús enim quiſque eorum eſt, qui idem ſibi elogium reuera vindicare poſſit?

V. 27. Patria religionis.) Legibus ſcilicet patriis præſcriptæ & ſancitæ, & vt Pythagoras loquitur, Νόμῳ ὡς διάκειται. Eam enim opt. cenſebant,

ſebant. Ita Socrates quoque in foro diſſerebat de virtute, & religionem interim populi Attici, hoc eſt publicum errorem colere ſe cum populo teſtatur, vt loquitur Theod. Beza ad 11. cap. ad Rom. v. 2.

Pag. 96. v. 3. Apud quos exulat ebrietas.) Recte enim in 10. Athenæi, Μεθυπλάνων τῶν δεινῶν μητρόπολις vocatur. Tanto igitur malo carere, non minima pars felicitatis cenſenda eſt. Sed vbi illos inueniemus, apud quos exulet ebrietas, Certe ſicut ille nō minus arguitè quam vere dixit, Morbum Gellicum eſſe hodie catholicum: ita vere quoque de ebrietate dicere poſſumus, hoc eam ſeculo eſſe vitium catholicum. Quod & Plinius libro decimoquarto capite vigeſimo ſecundo aſſeruit, cum per omnes orbis partes diſcurriſſet, tandem concludit, *Nulla in parte mundi ceſſare ebrietatem.* Et quod ibidem de Parthis dicitur, *eos quanto plus biberint tanto plus ſitire: ita vt bibendi conſuetudo augeat auiditatem; id pro dolor de multis noſtrorum quoque hominum dici poteſt.*

Pag. 96. v. 7.) Vbi dicitur non eſſe Oeconomi ad cœnam herilem extraneos inuitare, illuſtrari id poteſt fabula Æſopica, de cane domeſtico alium canem vicinum ad cœnam heri nuptialem inuitante, quam in ipſo Æſopo vide.

Pag. 97. v. 3.) Ad narratiunculam de Pallade fiſtulam abiiciente refero illa ex vita Alcibiadis apud Plutarchum: *Alcibiades equidem*

cum ad diſcendas artes ſe contulit omnibus Magiſtris morigerum ſe præbuit. tibia tantum canere nobuit illiberalem eam & homine ingenuo indignam artem iudicans. Nam plectrum quidem & lyram nihil de figura & forma, quæ liberalem hominem deceret, diminuere; Fiſtulam autem inflantis faciem vix etiam à familiaribus agnoſci. Præterea lyram vna eo qui vtitur canente ſonum ſuum edere, Tibiam eius, qui vteretur, os obſtruere, vocemq́; intercludere. Proinde inquit, tibia canant Bœotorum pueri qui loqui neſciunt. Nos Athenienſes exemplum Palladis & Apollinis imitabimur, quorum illa fiſtulam abiecit, hic fiſtulatorem Marſyam excoriauit. Inde factum vt Athenis ars hæc penitus è liberalibus diſciplinis excluderetur. Et nō illepide fiſtulatoribus accommodari poſſet diſtichon illud ex VIII. Athenæi.

Ἀνδρὶ μετὰ αὐλητῆρος θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν,
Ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾶν χ' ὡ νόος ἐκπέταται. h. e.
Dii tibicinibus mentis nihil inſlauerunt,
Verum mox cum flatu euolat illa ſimul.

Quod ſimul ad garrulos quoque non inſcite tranſtuleris.

Multiloquis nil mentis ineſt; Simul euolat illa,
Cum tam multiplicis garrulitate ſoni,
Nec non ad clamoſos.
Clamoſis nil moniis ineſt; Simul euolat illa
Cum tam ſtentorei vi ſtrepituque ſoni.

De eadem Pallade fiſtulam abiiciēte noti ſunt

ſunt verſus Naſonis lib. 6. Faſtorum, vbi ita loquentem Pallada inducit.

Prima terebrato per rara foramina buxo
Vt daret, effeci tibia longa ſonos.
Vox placuit, faciem liquidis referentibus vndis
Vidi, & virgineas intumuiſſe genas.
Ars mihi non tanti eſt, valeas mea tibia, dixi.
Excipit abiectam ceſpite ripa ſuo.

Propertius tamen lib. 2. factum hoc Palladis improbans in Mæandrum fl. abiectam refert: verſiculi hi ſunt.

Hic locus eſt in quo tibia docta ſones:
Quæ non iure vado Mæandri iacta nataſti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.

Vide de re eadem Gellium lib. 15. c. 17. Bella etiã & obſeruatu vtilia ſunt hæc Plutarchi in libello περὶ ἀοργησίας, quę interprete Xylandro ſic ſe habent; *At mihi inquit, ſi quis elegans & accuratus comitetur famulus, ægre non tulerim ſi mihi iraſcenti ſpeculum offerret; ſicut nonnullis, vbi lauerint, nulla vtilitate exhibetur. Etenim videre ſeipſum contra naturam affecto & conturbato vultu, non parum facit ad damnandam iram. Iocus fertur, Mineruam, cum fiſtula caneret, Satyro his verbis caſtiganti:*

Non te decet forma iſthæc pone fiſtulas
Et arma capeſſe, componens recte genas,

Non obtemperaſſe: cum autem in flumine faciem ſuam eſſet contuita indignatam fuiſſe, ac miſſas feciſſe fiſtulas. Quanquam ars deformitatem ſuauitate

tate cantus hic quidem compenſabat. Teleſtes Selinuſius, quem Ioſephus ille Scaliger tanto patre digniſſimus filius, in caſtigationibus ſuis Propertianis citat. ſic de re eadem:

ἣν σοφὸν σοφὰν λαβοῦσαν
δρυμοῖς ὀρείοις
ὄργανον δῖαν ἀθάναν
δυσόφθαλμον αἶσχος ἐκβοηθεῖσαν
αὖθις ἐκ χειρῶν βαλεῖν

Pag.98.verſ.15. Dicitur de minutis & crebris expenſis breui magnam etiam ſubſtantiam conſumentibus. Quod ipſa comprobat experientia, & teſtantur hi noſtri verſiculi.

De me parum magno, magno nihil adde, puſillum id.
Sic fiet, magnuſq; breui euaneſcet aceruus.

Ibid. v. 20. Expreſſi inter interpretandum locum quendam, qui eſt in Oratione Ciceronis in L. Piſonem, quem etiam Caſa, cum hæc ſcriberet, videtur reſpexiſſe. Verba eloquentiſſimi Oratoris deformitatem hanc exagitantis, hæc ſunt: *Idem illo fere biduo productus in concionem ab eo, cui ſic æquatum præbebas conſulatum tuum, cum eſſes interrogatus, quid ſentires de conſulatu meo, grauis auctor, Calatinus, credo, aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Cæſonius, Semiplacentinus Caluentius, reſpondes, altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelitatem tibi non placere.*

V.27. Os diſtorquet.) Facie ſcilicet magis, quam facetiis

facetiis ridiculus, vt Cicero ſcribit de Marco Piſone ad Attic. Ep. 13, lib. 1.

Qualem etiam Phœbum illum fuiſſe credibile eſt, quem notat Martialis lib. 3, Epig. 47.

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis,
Nam faciem duram Phœbe cacantis habes.

Idem aut certe non diſſimile vitium in Teſtio Pinario notauit Cæſar, teſte Cicerone 2. de Oratore. Pinarius enim in dicendo mentum ſolebat intorquere. In hunc Cæſar ita iocatus eſt. *Dic ſi quid velis, cum nucem perfregeris.* Nam qui habet in ore nucem duram, in ea frangenda mentum ſolet intorquere.

Locus Pindari expreſſus pagina 99. v. 1. ſub libelli ipſius finem, extat in poſtrema oda Olympiorum. Verba grauiſſimi Lyrici, Charites ipſas alloquentis hæc ſunt:

Σὺν γὰρ ὑμῖν τὰ τερπνὰ καὶ τὰ γλυκέα
Γίνεται πάντα βροτοῖς,
Εἰ σοφὸς, εἰ καλὸς, εἰ ἄγλαος
Ἀνήρ. &c.

Hoc eſt. Nam per vos delectabilia & dulcia fiunt omnia mortalibus. Si ſapiens, ſi pulcher, ſi quis ſplendidus ſit vir. Neque enim Dij venerabilibus abſque Gratiis regunt choros, neq; conuiuia. Sed omnium diſpenſatrices operum in ipſo ſunt cœlo.

Additio ad Galatei Notas.

PAg. 22. verſu 23. fit mentio Vbaldini Bandinelli, qui, quis, & qualis fuerit, patet ex hoc eius Epitaphio etiam hodie inter Romana celebri. Vbaldino Bandinello, *Patricio Florentino, Montis Faliſconis Epiſcopo, viro, non minus vita & morib. integerrimo, quam multiplici rerum ſcientia ornatiſsimo, Franciſca ſoror mœſtiſsima optimo fratri poſ. Obiit* vii. *Martii, Anno à Chriſto nato* M.D.L.I. *ætatis vero ſuæ* LVII.

Finis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE